BAPTISMA
PUERORUM
IN UTERIS EXISTENTIUM
ITERUM ASSERTUM.

DISSERTATIO

Medico-Theologica

AUCTORE

P. D. GABRIELE GUALDO

CLERICO REGULARI

Sacræ Theologiæ Professore

In hac Secunda Editione

Correctior, & Auctior.





PATAVII M. DCC. XII.

Apud Fratres Sardi. *Superiorum Permissu.*

INDEX
AUTHORUM.

D. Epiphanius.
Eutimius.

Francifcus de la Boë Silvius.
Francifcus Mayron.
Francifcus Ranchinus.
Francifcus Rouffet.
Francifcus Stochamer.
Francifcus Suarez.
Francifcus Toletus.
Francifcus Victoria.
Francifcus Zabarella Card.

Gabriel Biel.
Galenus.
Gafpar Bahunius.
Gafpar Juenin.
Georgius Ambianus Capuccinus.
Georgius Gobat.
Gloffa Canonica.
Gloffa Civilis.
Goffredus Abbas.
Gratianus.
D. Gregorius Magnus.
D. Gregorius Nazianzenus.
D. Gregorius Niffenus.
Gregorius de Valentia.
Guido à Bayfio, feu Archidiaconus.
Guido de Monte Rocherio.
Guilelmus Altifiodorenfis.
Guilelmus de Alvernia, feu Parifienfis.
Guilelmus Eftius.
Guilelmus Harvæus.
Guilelmus Ocham.
Guilelmus Rondeletius.
Guilelmus Rubion.

Henricus Boic.
Henricus Gorrichen.
Henricus Herp.
Henricus Hoftienfis.
Henricus de Noris Cardinalis.
D. Hieronymus.
Hieronymus Capivacceus.
Hieronymus Fabritius ab Aquapendente.
Hieronymus Mercurialis.
D. Hilarius.
Hippocrates.

Jacobus Caymus.
Jacobus Duvalius.
Jacobus Menochius.
Innocentius Primus Papa.
Joannes Altenftaig.
Joannes Andreas.
Joannes Antonius à S. Georgio, aliàs Prepofitus.
Joannes Bacconius.
Jo: Baptifta Soris.
Joannes Capreolus.
Joannes Chappuis.
D. Joannes Chryfoftomus.
D. Joannes Damafcenus.
Joannes Dolæus.
Joannes Duns Scotus.
Joannes de Friburgo.
Joannes Gerfon.
Joannes Major.
Joannes Marinellus.
Joannes Michael Savonarola.
Joannes Nider.
Joannes Schenchius.
Joannes Scherichius.
Joannes Schultet.
Joannes Tabienfis.
Joannes Turrecremata.
Jofeph Angles.
D. Irenæus.
Isbrandus Diemorbroeck.
D. Ifidorus.
D. Juftinus.

Lactantius Firmianus.

Lazarus

Victor

Victor Trincavella.
Vidius Vidii.
Villelmus Rodonensis, seu Glossa D. Raymundi.
Vicentius Lirinensis.
Zacharias Pasqualigus.
Zacutus.

OBserva, Lector, Villelmum Rodonensem tanquam D. Raymundi glossatorem à me allegari, licèt probè sciam editores Romanos bis evulgasse, nimirum anno 1603. & 1619. ejusdem Sancti Doctoris Summam cum glossis, & glossas Joanni de Friburgo attribuisse. Verùm, salva reverentia, longè à veritatis tramite aberrant. Primò, quia Summistæ, & Doctores Veteres usque ad Sylvestrum hasce glossas sub nomine Rodonensis citarunt. Secundò, ipse Joannes in primo prologo suæ Summę fatetur se *secundùm ordinem Alphabeticum tam de textu, quàm de ejus* Glossa *ordinasse*. Nunquid glossas Litterarum ordine disponere erit glossas componere? Si affirmetur; tunc dicam textum Raymundi fuisse etiam à Joanne compositum, cum Joannes tam glossas, quàm textum taliter disposuerit. Tertiò in secundo Prologo declarat, se casus à Raymundo, & ejus Glossatore, hoc est, Villelmo Rodonensi, propositos velle discutere. Quartò lib. 2. tit. 3. q. 3. refert Glossam Villelmi in multis casibus tanquam licitum Duellum defendere. Ipse Joannes istam glossam acerrimè reiicit. Lege Glossam super Raymundum lib. 2. tit. de Duello V. *non peccare*, & videbis esse doctrinam istius Glossæ à Joanne rejectæ. Si ergo iterum Joannes asseverat Glossæ Raymundi Authorem esse Villelmum Rodonensem, quis posthac hujusmodi Authorem esse ipsum Joannem dicat? Si hujusmodi glossas modò laudat, modò rejicit, nunquid seipsum laudat, & rejicit?

INDEX
CAPITUM.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.

CAP. IV.

CAP. V.

CAP. VI.

cut

CAP. VII.

CAP. VIII.

CAP. IX.

CAP. X.

CAP. XI.

CAP. XII.

B A-

BAPTISMA PUERORUM IN UTERIS EXISTENTIUM *ITERUM ASSERTUM.*

CAP. I.

Finis Opusculi, Gravitas Materiæ, Plurimi Veterum, Juniorumque hisce pueris baptisma negantes, pauci Recentiorum concedentes referuntur.

DE hac re sermonem habui in meo Opere sub Amici mei nomine evulgato, cui titulus: *Tractatus Probabilitatis ex principiis Antiquorum compositus* c. 41. per totum. Finis illius dissertationis tunc fuit, ut quoddam Probabilioristarum argumentum, quod in Probabilitatem contorquent, penitus diluerem. Illorum ratio erat, quia nimirum communis Antiquorum opinio sancit, nos in praxi Probabilioritatem sequi debere, reiicere verò Probabilitatem. In cap. 18. attuli, quæ, & quanta prisci Doctores habeant pro hac inextricabili difficultate, & profectò sunt adeo pauca, & jejuna, ut certè nemo posthac jure possit sententiam *Probabilioritati* faventem specioso communis opinionis titulo condecorare. Attamen, ne argumenti vim aufugere viderer, concessi assumptum, & in d. cap. 41. allatis plurimis plurium sæculorum Authoribus demonstravi, fuisse communissimè statutum, non paucis verbis, ùt in *Probabilioritatis* quæstione factum fuerat, sed argumenta in utramque partem discutiendo, communissimè, inquam, decretum fuisse, etiam à primis Theologiæ, & Facultatis Canonicæ Coripheis, infantes in utero existentes baptizari non

ri non posse. His tamen minimè obstantibus oppositum pro virili parte propugnavi, intellexique Lectorum non paucos doctrinam hanc meam approbasse; ac propterea cognovisse argumenti Probabilioristarum imbecillitatem. Impræsentiarum hujusce disputationis finis unicus est salus æterna horum miserrimorum Infantium.

2. Recentiores Scolastici, ac Morales non adeo frequenter, at antiquitus facere consueverant, moralem hunc casum discutiunt. Nam vel quæstionem non attingunt, vel ea tantùm in medium afferunt, quæ à veteribus magni subsellii Theologis dicta fuere; cum verò decisum ab iis videant, pueros in utero baptizari non posse (quasi quæstio dijudicata sit) auctoritatem potiùs, quàm rationum momenta, Pytagoreorum more, æstimantes unanimiter in negativam partem descendunt, ùt patet præsertim in magno Suario, qui licèt in eorum numero sit, qui Theologiam plurimùm ornarint, & auxerint, tamen in hac quæstione 3. par. q. 68. art. 11. D. Thomæ solùm textum refert, nihil de suo addere aggressus.

3. Hanc quæstionem omnino puto esse magni ponderis, & majoris, quàm multi credant. Agitur in hac de plurimorum infantium salute, qui, cum in lucem prodire nequeant, præmoriuntur in utero; & gratia, gloriaque in æternum privantur. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* Joannis 3. v. 5. Agitur etiam de Christi Salvatoris Domini, ac ejus Sacramentorum honore. Legislator siquidem est laudabilior, quò lege sua pluribus providet; & remedium generalius est perfectius c. *majores* de baptism.

4. In hujusmodi ergo materia per plura sæcula antiqui tum Theologi, tum Canonistæ, tum Casuistæ unanimi consensu opinionem negantem tradiderunt: & Theologi quidem difficultatem ex professo agitando, afferendo nempe argumenta pro sua sententia, & objecta diluendo; ac proinde faciunt tantam authoritatem, quantam possunt. Negarunt igitur hisce puerulis baptisma Magister in 4. dist. 6. c. 2. Albertus art. 9. D. Thom. in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. quæstiun. 3. ad 1. & 2. & in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiun. 1. ad 1. & 2. & ad Annibal. dist. 6. art. 1. & par. 3. q. 68. art. 11. Alen. par. 4. q. 8. membr. 7. art. 1. §. 2. D. Bonav. in 4. dist. 6. par. 2. art. 1. q. 1. Petrus de Tarant. dist. 6. q. 6. art. 1. Richard. art. 2. q. 1. Ægidius in 3. dist. 3. par. 1. art. 2. ad arg. princip. ad 1. Palud. in 4. dist. 6. q. 1. Hervæus q. 1. Durand. q. 1. Scot. dist. 4. q. 3. Baccon. dist. 5. q. 2. Ant[illegible] Andreas dist. 4. q. 3. Rubion. q. 1. art. 2. Petrus de Aqui-

la

la q. 1. §. *dico igitur*. Aureolus dist. 5. q. 1. concl. 4. Argent. q. 1. art. 4. Stephanus Brulifer dist. 6. q. 7. Mayron. dist. 4. & 5. q. 1. Marsilius Inguen. q. 4. art. 4. dub. 4. Holcot. q. 1. art. 4. Nicolaus de Orbellis dist. 4. q. 1. Henrichus Gorichen dist. 6. q. 2. & forsan etiam Nicolaus Gorichen, seu Goram. Hi sunt Scholastici Antiqui, idest qui floruerunt ante annum 1500. & hanc opinionem secuti sunt.

5. Ex Summistis, seu Casuistis antiquis illam amplexi sunt Joan. de Friburg. in Summ. lib. 3. tit. 24. q. 31. Rainer. de baptism. cap. 5. casu 1. Asten. lib. 4. tit. 6. §. *circa secundum.* qu. 5. Guido de monte Rocher. Manip. Curat. de baptism. c. 5. Pisanella, & ejus Supplementum V. *Baptismus* 4. quæst. 1. Albericus Rosate Diction. V. *Baptismus* 4. Gerson. Summ. Theolog. lib. 4. q. 6. D. Antonin. 3. par. tit. 14. c. 13. §. 1. vers. *immersio in aqua.* Angelus V. *Baptismus* 6. num. 1. Rosella V. *Baptismus* 4. num. 2. & 6. Herp. in Specul. aureo præcep. 1. serm. 13. quæst. ultim. & hanc supponere videtur Nider in Præcep. 3. c. 3. litt. E. quatenus dicit, in periculo, etiamsi solùm manus, aut pes nascatur, puerum baptizandum esse.

6. Ex Canonistis eandem docuerunt Gratianus c. *qui in maternis.* de consecr. dist. 4. Glossa in c. *si ad matris* eadem. V. *si ad matris* Hostien. Summ. de Baptism. §. *quid sit ejus forma.* ubi dicit, si solus pes infantis esset extra uterum, puerum natum non dici; & sic nec renatum. Joan. Andreas in c. *debitum* num. 5. de baptism. Archidiac. c. *baptizari.* 5. dist. & c. *qui in maternis.* de consecr. dist. 4. Bellamera ibidem. Zabarella Clement. Fidei §. *ad hoc* de Summ. Trinit. Geminianus c. *baptizari.* 5. distinct. num. 2. Præpositus ibidem num. 1. Turrecrem. c. *qui in maternis* de consec. dist. 4. Boic. c. *majores* de baptism. num. 3.

7. Hi sunt Doctores viventes ante annum 1500. ac proinde, ut patet in meo Opere cap. 9. inter antiquos sunt reponendi; quia verò, ut ibidem subdo, multi ex Probabilioristis latiùs nomen gloriosum antiquitatis extendunt; unde etiam Navarrum in choro Antiquorum collocant, ideò, sequendo hanc sententiam, afferam Authores florentes eodem sæculo, pariterque iisdem infantulis salutare lavacrum denegantes, & sunt Sylvest. V. *Baptismus* num. 4. q. 1. Tabien. V. *Baptismus* 5. num. 4. Armilla num. 27. Joan. Chappuis in Glossa Summulæ Raym. de baptis. vers. *si puer egreditur.* Tataretus in 4. dist. 4. q. 3. Angles in flor. de baptism. q. 2. art. 3. concl. 1. Toleto lib. 2. cap. 18. num. 10. M. Anton. Cucchi instit. juris Canon. lib. 5. tit. 2. num. 26. Mattias Alberti instit. Canon. lib. 2. c. 18. Petrus Soto de Baptism.

lect. 1. Dominicus Soto in 4. dist. 3. art. 11. Arnaldus Albertini tract. de agnosc. assert. Cathol. q. 19. num. 14. Alios Doctores hujus sęculi pro hac opinione invenire haud licuit; sufficiat tamen scire, Sylvestrum credidisse omnes Doctores ita sentire, & Victoria de Baptism. num. 31. dicit juxta omnes esse expectandam pro baptismo nativitatem ex utero, & Dominicus Soto asseruit esse decisam à sacris Canonibus, & habere rationem evidentem; hinc procul dubio judicavit apud omnes esse certam.

Quoad Doctores proximi sæculi multi negantem, multi affirmantem opinionem sequuntur, ùt patet apud Pasqualigum in Theor. & prax. morient. q. 20. qui tamen malè vocat affirmantem communem.

8. Profundissimus Gabriel Biel, quem plures apud Philippum Labbè anno 1495. mortuum credunt, primus fuit, qui de prædicta antiqua, & communissima sententia dubitare cœpit in 4. dist. 4. q. 4. art. 3. dub. 2. litt. N. & scripsit: *Si verò, ùt aliquibus placet, puer adhuc latens in utero matris, quamvis matri conjunctus, aqua corpus ejus contingente ablueretur, vel aspergeretur cum debita intentione, & forma, verè baptizatur*. Eadem verba, & eandem opinionem habuit in principio sequentis sæculi, nempe anno 1517. Joannes Altenstaig. in Lexi. Theol. V. *Baptism*. Vers. *de parvulis in utero*. Eodem modo loquuti sunt Franciscus Victoria ubi supra, & Gregor. Valentia tom. 4. disp. 4. q. 1. punct. 2. vers. *tertiò sequitur*. Ille obiit juxta Labbæum anno 1546. hic scribebat anno 1597. ùt legenti illum tomum patebit. Allegatur pro eadem à Molsesio in Sum. tract. 4. c. 1. num. 37. Maldonatus de baptis. c. 1. q. 6. part. 1. Hic Author, si est Joannes Maldonatus Jesuita, obiit anno 1583. juxta Allegambe in Catalogo Scriptorum S. J. Alios Doctores sequentes hanc Doctrinam in hoc sæculo non reperi.

9. In sequenti sæculo pro eadem plures militarunt. Ita Diana part. 2. tract. 15. resol. 43. & part. 5. tract. 3. resol. 12. referens Joan. Præpos. Zambranum, Ledesmam, & Vivaldum, ita etiam Pasq. ubi supra allegans Philiarcum, Bonac. Laym. Capeavil. Naldum, Zambertum, & Lezanam, quibus addo Molsesium ubi supra, Reginal. lib. 27. num. 16. Less. 3. par. q. 68. num. 31. & Coninch. 3. par. q. 68. num. 90. ex Georgio Gobat de baptism. num. 56. Dicastillum, & Tannerum; ex Coninch Candelabrum Aureum. Omnes ex his, quos vidi, tradunt equidem opinionem benignam, sed solùm sub conditione, si nempe *aqua possit tangere infantuli corpus*; hanc quoque opinionem, quod est valdè mirum, docet Hiquæus Commentator Scoti in 4. dist.

4. q. 3.

4. q. 3. num. 8. & dicit Doctorem Subtilem negasse baptismum his pueris, eò quòd nequeunt ablui, ac proinde sequi, baptizari posse, si possint ablui, & hoc per argumentum à contrario. An verò possint ablui, ait, *se nescire, & hoc spectare potiùs ad Medicos, & Obstetrices*. Est verissimum hoc. Sed, cum magis spectet ad Theologos, quàm Medicos salus Animæ, profectò Theologi id ignorare non debent.

10. Pater Ludovicus Scildere anno 1664. in lib. de Princ. Conscien. Formandis tract. 6. c. 2. num. 9. & 10. cognovit hosce pueros posse ablui; hinc absque conditione illa: *si possunt ablui*, benignam opinionem tradidit, & modum illos aqua tingendi monstravit. Eodem tempore, vel paulò pòst Jacobus Pignatelli tom. 1. Consult. 153. eandem sententiam fusè docuit, & refert huic dissertationi occasionem obstetrices dedisse, quæ Romæ jussu Eminentissimi Vicarii examinatæ affirmarunt (nonnullæ solùm) infantes in utero posse ablui. Huic opinioni accedit Georgius Gobat de Bapt. num. 57. Accedit Jacobus Vviestner tom. 3. tit. de bapt. num. 9. 10. & 11. Hic Author scripsit anno 1706. Denique Sapientissimus Pater Dominicus Viva his diebus, quibus præsens opusculum recudo, imprimere facit suam Theologiam (opus penitus egregium,) & par. 3. disp. 1. de Grat. Auxiliante me citato benignam hanc opinionem acriter tuetur, & ab objectis latè vindicat.

11. Quò Antiqui rigidiores fuerunt cum pueris in utero existentibus, eò benigniores fuere cum extra uterum positis; hinc Parisien. de baptism. cap. 1. Antisiod. in 3. tract. 3. c. 4. q. 2. vers. *ad Anthoritatem Ambrosii*. D. Thomas in 4. dist. 3. quæst. 1. art. 2. quæstiun. 3. ad 4. D. Bonav. dist. 3. par. 1. art. 2. q. 2. ad 2. Richar. art. 2. q. 3. ad 5. Alen. par. 4. q. 3. membr. 3. art. 3. §. 2. Friburgo Summ. lib. 3. tit. 24. q. 11. Asten. lib. 4. tit. 3. art. 5. quæst. 2. §. *sciendum*. Supplementum Pisanellæ V. *Baptismus*. 1. q. 4. Angelus V. *Baptismus*. 1. num. 8. Sylvest. V. *Baptismus*: 1. q. 3. Allegans Paludanum, & Alan. Tabien. V. *Baptismus*. 3. num. 17. fin. Armilla V. *Baptismus* num. 16. dicunt, si puer moriatur, antequam finiatur forma baptismi, v. g. prolato nomine soliu Patris, dicunt, inquam, *Deum supplere defectum, & illum infantulum salvari*. Ita etiam videtur sentire Magister in 4. dist. 3. c. 3.

12. Sic etiam D. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. quæstiun. 1. ad 3. concedit posse baptizari infantem, si pedem extra uterum habeat, eò quòd misericordia Dei non sit arctanda. Subscribunt Joannes de Friburgo lib. 3. tit. 24. q. 32. Joannes Baccon. in 4.

 dist. 5.

dist. 5. q. 2. art. 1. Orbellis dist. 4. q. 1. Gabriel q. 2. art. 3. Albericus Rosate V. *Baptismus.* 4. Supplementum V. *Baptismus.* 4. Altenstaig. V. *Baptismus.* vers. *de parvulis in utero.* Sylvest. V. *Baptismus.* 4. q. 1. fin. Boic. in c. *majores*, de baptism. num. 4. Ergone cum pueris extra uterum agitur adeo benignè, & cum iisdem in utero clausis adeo rigidè proceditur, ut nullum remedium, præter martyrium, extare asseratur?

13. Verùm Gerson tom. 3. serm. de Nativit. Mariæ consider. 2. Gabriel in 4. dist. 4. q. 2. art. 3. dub. 2. Altenstaig ubi supra docent non esse desperandum de infantibus in utero positis, sed orandum esse Deum, ut, sicut potest, sine baptismo sanctificare velit; supponunt tamen hi Doctores hoc fieri ex speciali privilegio, sicut speciale privilegium est aliquos antiquitus fuisse sanctificatos in utero.

Ulteriùs progressus est Cajetanus, & 3. par. quæst. 68. art. 11. ausus est affirmare universè, infantes in uteris maternis decedentes sine baptismo salvari per fidem parentum; sicut ante Christum ex D. Gregorio lib. 4. moral. c. 2. Magister Sententiarum in 4. dist. 1. c. 7. probat parvulos fuisse salvatos per hujusmodi fidem. Hæc doctrina Cajetani meritò deleta est ex ejus operibus Decreto Pii Quinti, & nota censoria à Doctoribus inuritur.

CAPUT II.

Rationes negantium baptisma pueris in utero existentibus Afferuntur.

14. NUnc fundamenta, quibus negans Antiquorum opinio fulcitur, referenda sunt, sive allata à priscis Doctoribus, sive quæ à Recentioribus adduci possent. Quatuor Antiquiores assignabant. Primum, quia Divina Justitia exigit, ut peccatum quodlibet non dimittatur sine pœna aliqua, quam puer in baptismo sentiat, quod esse non posset, dum adhuc est in utero matris. Secundum, quia gratia dat esse ordinatum; & ideo regeneratio gratiæ præsupponit generationem naturæ. Tertium, quia puer, quamdiu in utero est, adhuc conjungitur causæ originalis peccati; adeoq; non potest ab eo mundari. Quartum, quia in baptismo debet esse aqua, & Spiritus contra infectionem carnis,

carnis, & animæ per originale; & ideo oportet præexistere ad baptismum nativitatem in utero, qua infunditur anima, & nativitatem ex utero, qua nascitur corpus. Referuntur hæc argumenta à Doctore Angelico d. dist. 6. q. 1. art. 1. q. 1. & refelluntur tanquam *non magni ponderis*. Afferuntur etiam à D. Bonauent. & Alen. locis allatis, & ex parte reiiciuntur, & approbantur.

15. Doctor Angelicus hac ratione semper utitur, quia nempe baptismus est quædam ablutio; cum ergo infans in utero nequeat ablui, nec poterit baptizari. Tum quia sacramentum debet conferri à ministris Ecclesiæ; & sic baptizandus debet subiici operationi ipsorum, ipsis esse notus, & cum iisdem vitam ducere; nullum autem ex his verificatur de nostris pueris. Refert etiam D. Augustinum Epist. 57, de quo infra; sed illum affert in argumento *sed contra*, quod Doctores adhibere solent dubitationis gratia, non ad probandum intentum, nisi iterum illud in quæstione ipsa recipiant. Theologi communiter nituntur hisce rationibus, unde Dominicus Soto in 4. dist. 5. art. 11. dicebat, illam ex ablutione desumptam esse manifestissimam, & Guilielmus Estius in 4. dist. 6. §. 1. esse *evidentem*.

16. Canonistæ, cum debeant legibus uti in probandis suis conclusionibus juxta illud proloquium, *erubescimus sine lege loqui*, pro hac opinione afferunt c. *si baptizata*. c. *qui in maternis* de consecr. dist. 4. Primus textus est Augustini de baptism. parv. lib. 2. c. 26. & ita se habet: *Sacramentum Baptismi est Sacramentum regenerationis, quare, sicut, qui non vixerit, non potest mori, ita, qui natus non fuerit, non potest renasci, ex quo conspicitur, neminem in suo parente potuisse renasci, cum nondum sit natus*. Secundus textus est D. Isidori lib. 1. senten. c. 22. In hoc dicitur: *Qui in maternis sunt uteris, ideo cum matre baptizari non possunt, quia, qui natus secundùm Adam non est, secundùm Christum regenerari non potest; neque enim dici in eo regeneratio potest, quem generatio non præcessit*. Aliqui addunt c. *si ad matris* ead. & est D. Augustini contra Julianum lib. 6. c. 5. ecce verba textus: *Si ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertinet, ita ut ejus pars deputetur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata est aliquo mortis urgente periculo, cum eum gestaret in utero: nunc verò, cum etiam ipse baptizetur, non utique bis baptizatus habetur; non utique ad maternum corpus, cum esset in utero, pertinebat*. Posset etiam afferri in Enchir. c. 43. dicit enim: *A parvulo recèns nato usq. ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est à baptismo, ita nullus est, qui non peccato moriatur*.

Ecce qui baptizari possunt, *Puer recèns natus, & cœteri usque ad decrepitum senem.*

17. Verùm luculentissimè suam mentem explicuit Sanctus Doctor Epist. 57. ad Dardanum, cujus meminit Magister in 4. dist. 6. cap. 2. En textum: *Nec renasci quisquam potest, antequam natus sit* ...... Hoc ergo excepto lapide angulari non video, quomodo ædificentur homines in Domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse, antequam nati .... Illa sanctificatio, qua efficimur singuli templa Dei, & in unum omnes Templum Dei, non est nisi renatorum, quod nisi homines nati esse non possunt; nullus autem vitam, in qua natus est, bene finiet, nisi renatus antequam finiat. Quòd si quisquam dicit, jam esse natum hominem, etiam dum adhuc in utero est matris, testimoniumque adhibet ex Evangelio Matth. 1. quia dictum est ad Joseph de prægnante Virgine Domini matre, quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est: *Nunquidnam huic nativitati accedit secunda nativitas?* Alioquin jam non erit secunda, sed tertia; Dominus autem cum sic loqueretur, *nisi quis*, inquit, *renatus fuerit denuo*, eam scilicet computans natiuitatem, *qua fit matre pariente, non concipiente, atque prægnante, qua fit ex ea, non qua fit in ea:* nec enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit, tanquam iterum natus sit, qui jam semel natus fuerat in utero, *sed illa natiuitate non computata, qua grauidam facit*, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua, & Spiritu, secundùm quam ex matre nativitatem etiam ipse Dominus in Bethelem Judæ dicitur natus. Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quoniam restat adhuc nasci, renascitur ergo, antequam nascitur, quod nullo modo fieri potest.

In hoc textu Sanctus Doctor non solùm suam opinionẽ promit, sed simul probat, & refutat rationem in oppositum: quo fit, ut nulla interpretatione in contrariam Sententiam trahi posse videatur.

18. Ex his potest deduci, sententiam hanc esse veluti Traditionem Ecclesiæ: nam pro illa clarè militant D. Augustinus, D. Isidorus, D. Thomas, D. Bonaventura, D. Antoninus, Canones in Decreto Gratiani, Theologi, & Canonistæ per plura sæcula: Theologi quidem à tempore Magistri usque ad Gabrielem Biel, hoc est ab anno 1150. ad 1490. nunquam de hac dubitarunt, ab illo verò tempore usque ad annum 1600. pauci sub conditione oppositam sequuti sunt, & ab anno 1600. usque ad nos plures quidem sub conditione, paucissimi autem docuerunt

abso-

absolutè sententiam nostram. Quoad Canonistas non reperi aliquem de opinione negativa ambigentem præter citatos Pignatellum, & Vviestner. Enimverò dubitare non posse videntur; quoniam, cum sibi persuasum habeant, Decretum Gratiani obtinere vim Legis Ecclesiasticæ, & clàrè in c. *si baptizata*, & c. *qui in maternis* hoc determinetur: fit, ut Canonistæ omnes debeant habere pro certa opinionem Antiquorum. Pro eadem militare debet tota Gallia, cum ipsa pugnacissimè adhæreat Antiquitati; novasque opiniones veluti monstra execretur; unde in Comitiis Generalibus anni 1700. in Palatio Sancti Germani Episcopi proscripserunt minorem Probabilitatem tanquam quid novum, inanditum, & postremo sæculo proditum.

19. Probabilioristæ quoque nequeunt hanc sententiam deserere, si nolunt Probabilioritatem abiicere, quia primarium fundamentum Probabilioritatis est authoritas Antiquorum; cum ergo opinio de invaliditate Baptismi in nostro casu sit communissima, imo unica apud Antiquos, & ex professo illam agitent, si sequuntur Probabilioritatem, quia traditur ab Antiquis, qui tamen non tractant materiam ex professo, sed paucis verbis, nec sunt in tanto numero, nec tanti nominis, nequeunt hanc opinionem deserere.

20. Præterea non legitur, datum fuisse baptisma his infantibus; quinetiam videtur certum, datum nunquam fuisse; quia, cum baptisma in ablutione consistat, & Theologi vel crediderint, vel dubitaverint illos non posse ablui; manifestè sequitur nunquam hosce pueros ablutos fuisse, aliàs Theologi audaces nimium fuissent, si negassent, vel in dubium vertissent id fieri potuisse, quod factum esse agnovissent. Opinio igitur Antiquorum videtur esse Ecclesiæ Traditio.

21. Quòd si etiam sustineri posset, non esse Traditionem Ecclesiæ; negari non potse videtur bis tradi à D. Augustino, quem tanti facit Ecclesia, ut videamur nos non posse licitè ab ejus authoritate recedere. Certè D. Thomas q. 4. de poten. Dei art. 2. tanti æstimat Augustinum, ac plurimos Patres, ut utramque opinionem amplectatur in illa quæstione, an mundus creatus fuerit successivè, vel simul, primam ob authoritatem Sanctorum, secundam ob authoritatem solius Augustini.

22. Ulteriùs rationes D. Augustini videntur adhùc subsistere; quia videtur per se notum, non posse aliquem renasci, & regenerari, nisi priùs sit natus, & genitus. Et licèt infans in utero per Philosophos, & Theologos sit propriè genitus, & natus, non tis apud Vulgus, quod solùm nominat aliquem nasci, & generari, quando

quando egreditur ab utero; hinc ille textus Scripturæ: *Isaac genuit Jacob, Jacob genuit Judam, &c.* debet intelligi de tempore, quo Jacob, & Judas ab utero effusi sunt. Sic etiam Ecclesia Beatum Raymundum per dissectum matris latus eductum *Nonnatum* vocat; & Leges pueros hujusmodi sub nomine Ventris appellant. l. *ventri* ff. de tutor. & curator. datis. Tum, quamvis infantes in utero aliquo modo sint nati, & geniti, non tamen perfectè, & completè; unde veluti sunt dimidii homines; & hinc est, si ante debitum tempus egrediantur ex utero, nasci non dici, sed abortiri, ùt cum Tiraq. tenet Zachias in qq. Medico-legal. lib. 1. tit. 2. q. 2. & hujusmodi abortivi testamenta non rumpunt l. 2. C. de posthum. hæred. instit. & notant Jacobus Caymus Lucubr. var. ad rubr. ff. solut. matrim. q. 3. num. 98. & Zachias ibidem cum Baldo. Sic etiam, dum infans debito tempore in lucem prodit, non dicitur renatus, ùt est evidens; ergo in utero existens non est natus; aliter egressus ab utero esset renatus, cum renatiuitas non sit nisi nova, & altera nativitas.

23. Hinc patet, rationes D. Augustini adhuc suum robur retinere; nefas est ergo deserere opinionem primarii Ecclesiæ Doctoris D. Augustini optimis rationibus vallatam, & oppositum audere est aperire januam novitatibus contra c. *quis nesciat* 11. dist. c. *cum consuetudinis* de consuet. & contra mentem Recentium Pontificum, qui proscripserunt tot novas Recentiorum opinationes.

24. Accedit pro hac sententia Tridentin. sess. 5. can. 4. & olim decretum fuerat c. *placuit* 153. de consecr. dist. 4. dicitur ibi: Si *quis parvulos* recentes ab uteris *matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint, &c.* Nota ly *recentes ab uteris*. Ergo infans, ut baptizetur, debet esse ab utero effusus.

25. Negari quoque nequit opinionem hanc approbari à Rituali Romano de baptis. §. *de baptizan. parvulis*. Ibi præscribitur: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet*: sed, *si infans caput emiserit*, & periculum mortis immineat, *baptizetur in Capite*, nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum pendeat, baptizetur, & tunc, *Si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus*. Ecce clausus in utero *baptizari non debet*. Tum quia, ut baptizetur, debet emittere vel caput, vel *aliud membrum*. Ergo clarè indicare videtur Rituale hanc opinionem; verum quidem est, Paulum Quintum in Bulla præfixa eidem Rituali non præcipere, ut eo utamur, sed hortari: Ergo non tenemur sequi ejus regulas. Tamen est certum illas regulas esse

esse bonas pro praxi; aliter nobis non suaderet, ut illas amplectemur. Pontifex quoque testatur se conspexisse in illo Rituali contineri *receptos, & approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus*: negare igitur baptisma pueris in utero clausis est ritus receptus, & approbatus ab Ecclesia Catholica Romana. Ergo hunc ritum debemus nos quoque sequi; nam, quæ docet, & facit Ecclesia Romana, debemus nos quoque docere, & facere c. *nolite* 11. dist. cum sit magistra omnium, ùt omnia Concilia clamant, nec deceat alias Ecclesias, ùt potè membra, à capite discedere c. *non decet* 11. dist; c. *celebritatem* de consecr. dist. 3. Tum quia Tridentin. sess. 7. De Sacram: in gen. can. 13. fatetur Sacramentorum ritus per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari non posse, nec à ministris pro libito omitti.

26. Præterea opinio opposita videtur omnino incognita Patribus, quod ex eo colligitur, quia adhuc pro ea textus Scripturæ, aut Patrum inventus non est, nec à suis defensoribus allatus; non licet autem asserere in supernaturalibus, & in rebus ad salutem Animæ spectantibus, nisi ea, quæ sunt consona Scripturæ, & Patribus, dicebat Illustrissimus Clerus Gallicanus supra allatus; hinc Augustinus lib. 2. de Ordine c. 9. ajebat ad discendum duo esse necessaria, nimirum *Authoritatem*, & rationem. Ratio etiam videtur manifesta, nam supernaturalia superant vires naturæ, & mores sunt componendi juxta principia certa, & infallibilia, qualia sunt Scriptura, & Patres, non Natura, quæ per peccatum obtenebrata sæpius errat, & in præsenti materia si consulamus Medicos, & Chirurgos, quos re vera consulere debemus, sunt adeo varii in suis dictis, in quibus agunt de pueris in uteris existentibus, ut nihil certi deduci queat, ùt patebit ex dicendis num. 42. 67. Præterea Philosophia mater errorum est, inquit Jansenius in proœm. quando adhibetur in definiendis arcanis divinarum rerum; & Cardinalis Noris in Vindic. August. c. 3. §. 3. subdit: plerosque Theologos in materia de virtutibus recessisse ab opinione Augustini, quia illi juxta Aristotelis Ethicam de ipsis disputarunt; ast Augustinus ex sacris litteris, ac sublimiori Theologia suam sententiam deduxit.

27. Hæc doctrina adeo invaluit apud Theologos Gallos, ut P. Natalis Alexandri in Præfat. suæ Theolog. Dogmat. & Moral. dicat casus conscientiæ esse solùm decidendos *ex Divinis litteris, Sacra Scriptura, Patribus, Conciliis, Decretis Pontificum, D. Thoma, D. Raymundo, & D. Antonino*: & Gaspar Jueninus tom. 1. dissert. 4. c. 2. q. 7. & Illustrissimus Genettus tom. 1. c. 1. q. 3. sunt adeo rigidi, ut velint veritates hujusmodi desumendas esse solùm ex Sacra Scriptura, & Traditione. 28. De-

28. Denique in praxi videtur non posse omnino conferri Sacramentum in casu nostro, quia juxta Innocentium Undec. in Decreto condemnante plures propositiones num. 1. deciditur non posse conferri Sacramentum, quando agitur de valore ejus, relicta opinione tutiori; cum ergo hìc agatur de validitate Baptismatis, & tutius sit non baptizare, quia non baptizando non incurrimus in periculum frustrandi Sacramentum, sequitur esse abstinendum, &c.

29. Secundò probabilior videtur opinio Antiquorum, quàm opposita Recentiorum, quia illa habet tot, & tantos Patronos, hæc verò non multos Doctores, nec tanti nominis habet, ut possint aliquo modo comparari cum illis. Et quamvis concederemus, licere sequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori; & tutiori, ùt vult communissima Recentiorum opinio, tamen negari nequit conducibilius, & tutius esse sequi probabiliorem, & tutiorem, quicquid plures Probabilistæ in oppositum dixerint; nam ex D. Augustino lib. 1. de baptism. contra Donat. c. 3. & 5. incerta non sunt præponenda certis; & hìc agit S. Doctor de collatione baptismi, & tenendum est certum, & relinquendum incertum c. *si quis autem* de pœnit. dist. 7. nec certum pro incerto mutandum esse scripsit Metellus in fine sui Consulatus Boccho Mauritaniæ Regi apud Salustium de bello Jugurtino.

30. Hæc sunt fundamenta, quæ pro illa Antiquorum opinione afferri possunt. Nunquam satis mirari desinam, quomodo tot Theologorum Coriphæi, & Scholarum Theologicarum Principes nescire potuerint veritatem illam, (*Infantem* nempe *in utero possit ablui*, saltem dum instat partus) quam ab Obstetricibus, Chirurgis, & Medicis noscere nullo negotio poterant; sicut & legendo Hippocratem, Æginetam, Celsum, Avicenam, & alios Medicos.

31. Ut autem Doctores, qui dubitarunt de veritate antiquæ opinionis, sunt in hoc laudandi, quatenus ab authoritate tantorum Authorum adduci se passi non sunt ad credendum, infantes in utero esse ablutionis incapaces, ita laude digni non sunt, quòd noluerint plenam veritatem attingere, quam adeo facilè poterant. Hi Theologi revera nesciebant, an hi pueri possent ablui. Medici verò, Chirurgi, & Obstetrices scire nequeunt, an tales infantes habeant requisita ad Sacramentum; & sic plures infantes ex negligentia Doctorum certò æternùm perierunt, qui forsan salvari potuerant.

32. Nunc dabunt mihi veniam Lectores pii, ut altè conquerar de illis Recentioribus, qui, cum patefacta jam veritas sit, & clarè

demonstratum, hosce infantes posse in utero ablui, pergunt adhuc, & absolutè proferunt illud Antiquorum: *Infantes in utero ablui non possunt*. Profectò rei erunt damnationis illorum infantium, dum ex supina negligentia nolunt aperire oculos clarissimæ veritati, & propter illam rationem negant baptisma hisce parvulis. Quando agitatur quæstio, v. g. an Berta valide matrimonium inierit, quia adest suspicio de impedimento Frigiditatis, nonne juxta c. *proposuisti*. de probat. c. *fraternitatis* de frig. & malef. Judex jubet, ut honestæ mulieres inspiciant fœminam, & referant veritatem? sic etiam, quando dubitatur, an mulier sit gravida, tunc traditur Obstetricibus inspicienda l. *temporibus* ff. de inspic. ventr. Nonnè casus noster est omnino similis? cur ergo non consulimus Obstetrices? Chirurgos? Medicos? si eadem est ratio, idem æstimari debet, inquit l. *illud* ff. ad Leg. Aquil. Vide num 52. Nunquid major cura adhiberi debet pro determinatione matrimonii, quàm Baptismi? aut majus negotium est, ut filii generentur Mundo, quàm Cœlo?

33. Sunt prorsus incredibilia, quæ faciunt Obstetrices, Chirurgi, & Medici, quando partus est difficilis, ut vivus edatur; vel quando est mortuus, ut quàm citò extrahatur. Videantur Medici, & Chirurgi tractantes de hac materia, præcipuè verò legantur Scipio Mercurio lib. 2. & Franciscus Mauriceau lib. 2. qui tradunt præcepta propemodum infinita de hac re. Mauriceau c. 12. cum Celso asserit, operationem, qua Chirurgus adjuvat parientem, esse laboriosiorem, quàm subire possit; & subdit Fabritium ab Aquapendente narrare, se ab incœpto aliquoties destitisse, & aliis opus finiendum concessisse, quia nimiùm lassatus fuerat. Jure tamen tot labores subeunt; sciunt enim se teneri sub præcepto rigidissimo charitatis ad enitendum totis viribus, ut illos miserrimos pueros à morte vindicent juxta illud 1. Jo: 3. *non diligamus verbo, nec lingua, sed opere, & veritate*.

34. Ex his conficitur argumentum, Obstetrices, Chirurgi, & Medici tot peragunt, ut temporalem vitam infantibus tribuant; & Theologi nostri nihil facient, ut ipsis vitam æternam largiantur? Si legent in Antiquis, illos non posse ablui, nihil ampliùs inquirent? Legebatur in Antiquis Antipodas esse fabulas, Oceanum esse invium, Zonam torridam esse inhabitabilem. Nunquid maximus Columbus acquievit hisce dictis? an potiùs auri, gloriæque fame percitus voluit oculis suis cernere veritatem? cur ergo Theologi cœlestis thesauri fame perculsi, ut illo nostros infantes ditent, omni conatu non satagent ipsos abluere, licèt Antiqui ablui posse inficientur?

CA-

CAPUT III.

Necessaria scitu de utero ad quæstionis solutionem traduntur.

35. UT plenam, quantum fas est, & veram propositi casus decisionem statuam, opus est, ut aliqua de uteri quidditate, & proprietatibus tradam, quæ omnino necessaria videntur. Antequam verò id faciam, duo præfari me juvat, unum Theologis rigidis, alterum Medicis, & Chirurgis. Hos igitur precor, ne me irrideant, si tam pingui minerva hanc spartam impleverim: nec enim finis meus exigit pleniorem explicationem, sed crassiorem; Illos autem etiam, atque etiam hortor, ut hac vice patiantur me de hac materia agere, & innatam severiorem existimationem deponant, qua credunt peccari in honestatis leges, si de hisce rebus Theologi nostri loquantur. Nunquid ergo, ut huic imaginariæ honestati consulam, debebo cum Authoribus hæc ignorantibus dicere universim; *Infans in utero nequit ablui? Non est notus Ecclesiæ?* & ex hac falsa credulitate, negare baptisma tali puero, & sinere, ut in æternum pereat? Ut Medici mulieribus medeantur in aliqua propriarum partium laborantibus, debent earundem cognitionem haurire; & peccarent juxta Hippocratem de morb. mulier. tex. 87. si vellent muliebria, ùt virilia curare: *multum enim*, inquit famosissimus senex, *differt muliebrium, ac virilium curatio*. Porro has partes diligentissimè explanando, quinimo figuris adamussim repræsentando non existimant, se honestatis leges violare. Debebitne Theologus credere se facturum aliquod execrabile in honestatem, si crasso calamo easdem describat, ut animas illorum puerorum à morbo originali liberet, quod pro dignitate, & veritate facere nequit sine hac cognitione? vel autumantne satis exponi posse uteri qualitates, si quidditatem, & divisionem ejusdem ignoremus? Tum quia antiqui Casuistæ in quæstione illa: an Virgo clam violata Virginitatis velum recipere valeat, non sunt adeo scrupulosi, imo diligenter admodum amittendæ Virginitatis modos describunt, ùt videre licet præsertim apud Joan. de Friburg. Summ. Confessor. lib. 3. tit. 3. q. 18.

36. Sed audiant isti, & tandem sileant, aurea verba D. Aug. lib. 14.

lib. 14. de Civit. Dei cap. 23. quisquis ad has litteras impudicus accedit, culpam refugiat, non naturam, *facta denotet suæ turpitudinis; non verba nostra necessitatis*, in quibus mihi facilè *pudicus, & religiosus lector, vel auditor ignoscet* . . . . quia non damnabilem obscœnitatem commemoramus, *sed in explicandis, quantum possumus, humanæ generationis affectibus verba tamen obscœna devitamus*. Sic Augustinus: *Nec hic ulla intervenit temeritas præsumptionis, ubi*, inquit Leo Magnus Epist. 92. c. 16. *est diligentia pietatis*. c. *si nulla* de consecr. dist. 4. quæcumque enim nunc scribo, omnia, ùt dixi ab initio, charitatis, misericordiæ, & pietatis causa erga hosce pueros omnium miserrimos exaro.

37. Sciendum ergo, Uterum ex Regnero Graaf de mulier. organis c. 8. & reliquis Anatomicis sic dici ab utre, & solere etiam vocari Matricem, Utriculum, & Loca muliebria: Collocatur autem in regione hypogastrica, hoc est in infima parte imi ventris, quæ in cavitate, quæ peluis dicitur, constituitur ab osse sacro, & ossibus ilei. Ejus figura ab aliis statuitur rotunda, ab aliis pyriformis. Graaf ait ad triangularem accedere. Theologus, si imaginatione concipiat amphoram cavitate, & collo sex, septem, octo, aut etiam novem ex Graaf c. 7. digitos per transversum longo donatam, & ita positam, ut cavitas supernè sit, infernè collum, sibi facilè finget figuram, & situm Uteri; namque est certum Uterum habere duas partes, quarum superior cavitas, inferior collum appellatur. Scio Graaf, & alios cavitatem dividere in fundum, & cervicem. Nobis nostra divisio sufficiat cum Thoma Bartolino in Anat. reform. lib. 1. c. 29. qui collum etiam cervicem vocat.

38. Collum pro captu nostro potest dividi in tres partes, scilicet in Orificium exterius, quod oculis patet, & in Orificium interius, & est illa pars, quæ cum cavitate immediatè conjungitur. Hoc orificium vocatur à Graaf c. 15. tab. 24. fig. 3. *Uteri osculum*, & quando Hippocrates *Uteri osculum* nominat, creditur intelligere hoc orificium. Tertia pars colli est illa longitudo sex, septem, &c. digitorum per transversum medians inter osculum Uteri, & orificium exterius.

39. Facta conceptione Uterus clauditur in orificio interiori, & ita clauditur, ut nec cuspidem acus admittat juxta Hippocratem de natur. puer. num. 37. & 39. & Galen. class. 1. lib. 15. de usu part. c. 7. *& ita communiter creditur*, ait Bartolinus ibidem. Aperitur autem Uterus, quoties infans tentat egredi; impossibilis enim esset partus, si non aperiretur. Porro hæc aperitio est

adeo

adeo mirabilis, ut Galenus ubi supra dixerit, nos posse illam admirari, non capere. Aperitur etiam in superfœtatione, quando nempe concepto primo fœtu post aliquod tempus iterum fit alia conceptio, non excluso primo concepto. Sed hæc aperitio ad rem non pertinet.

40. Usque ad hæc nostra tempora credebatur fœtus primò efformari in cavitate uteri per commixtionem seminis, vel seminum cum sanguine menstruò fœminæ; nunc verò Anatomici, qui asserunt hominem, & quodlibet aliud animal generari ex Ovo, dicunt ovum in testibus mulierum fœcundari ab aura seminali viri, & post paucos dies propelli per quoddam canale, quod Tubas Fallopianas, à primo harum partium detectore Fallopio, appellant; propelli, inquam, in uteri cavitatem. De hoc inter alios Recentiores videatur Graaf c. 14.

41. Fœtus in utero involvitur à duabus membranis. Prima, quæ immediatè puerum totum ambit, dicitur Amnios, quam Galenus vocat etiam Amiculum, est tenuissima, & transparens. Secunda, quæ est crassa, & puerum etiam omni ex parte amicit, appellatur Chorion. Utraque ex his admittitur ab omnibus tum Antiquis, tum Recentioribus, & in quovis partu videri potest, & aliquando puer nascitur obvolutus ab Amnio. Hunc partum esse fortunatum vulgus credit, & mille superstitiones de ipso disseminat. Medici quoque ipsum felicem asserunt, eò quòd sic vestitus ab illis angustiis absque sui, & matris læsione potuerit egredi, quod posterius omnino ùt verum fatendum est. Multi asserunt inter hasce membranas mediare aliam, quam cum Galeno Allantoidem nuncupant. Meminisse sit satis.

42. Certum est in his membranis humores contineri; sed Anatomici differunt de numero, & usu eorundem; aliqui enim volunt esse tantùm duos, alii tres. Rursus quidam dicunt esse tantùm excrementitios, alii nutritivos, alii partim excrementitios, partim alimentitios. Qui excrementitios autumant, in Amnio Sudorem, in Chorio Urinam locant; sed Bartolinus c. 36. sudorem, & urinam in Amnio esse credit. Graaf ubi supra omnes nutrititios judicat. Ad rem nostram nihil refert; nonnihil facit in Amnio contineri humorem quendam, in quo infans innatat.

43. Chorio adnascitur quædam substantia carnea figuræ orbicularis, & propterea Placenta dicitur, & Epar Uteri etiam nuncupatur. In umbilico pueruli incipit quidam funis constans ex vena, duabus arteriis, Uracho, & ligamentis longitudinis ulnæ cum dimidio juxta Bartolinum c. 37. quatuor palmorum juxta Mauri-

Mauriceau lib. 2. c. 4. sed aliquando est brevior. Progreditur ad collum, gyrat per frontem, & inde connectitur cum Placenta. Verùm Placenta unitur utero minutissimis filamentis, quæ assimilari queunt radicibus arboris, quibus ipsa arbor terræ infigitur, de quo vide Graaf tab. 22. Est incertum, cui parti uteri Placenta nectatur. Bartolinus in suis tabulis vult connecti fundo uteri, Graaf verò uni ex lateribus. Ad nos nil refert.

44. Fœtus dupliciter egreditur ab utero, vel per collum, seu vaginam, vel per incisionem uteri. Ex secundo modo habetur partus Cæsareus, ita appellatus, quia cæditur uterus; & hinc Cæsareum nomen deductum. Hoc modo Scipionem Aphricanum priorem, Julium Cæsarem, & Manlium natos scribit Plinius lib. 7. histor. natural. c. 8. & nostris temporibus taliter in lucem venisse. D. Raymundum, ob hanc rationem *Nonnatum* appellatum, ex Romano Breviario didicimus. Ante hos omnes sic ortum Latinum Lycam canit Virgilius Æneid. 10. *Inde Lycam ferit exectum jam matre perempta*.

45. Partus primi modi vel succedit tempore debito, & parte debita præeunte, nempe capite; & sic habetur partus naturalis; si secus fiat, partus præternaturalis appellatur. Quoad tempus Medici inter se digladiantur. Communis opinio fundata in l. *septimo*. ff. de statu homin. ex Hippocr. de qua Zachias lib. 1. tit. 2. q. 1. & 3. vult partum dici naturalem, si fiat saltem septimo mense, quinimo Glossa sustinet sufficere, si mensis sit incœptus, & l. *intestato*. V. *secundo die*. ff. de suis, & legit. hæred. dicit juxta Hippocratem filium esse legitimum, si nascatur 182. die. Hanc communem opinionem reiicit ipse Zacchias d. q. 3. cum Lalamantio, & Fortunato Fidelio, & affirmat ad partum naturalem requiri saltem novem menses. Est etiam communissima sententia apud Zachiam q. 2. num. 12. natum ante septimum mensem propriè vocari abortivum, pro quo facit d. l. *intestato* §. fin.

46. Partus uterque ex multis capitibus potest esse difficilis, ùt videre est apud Zachiam lib. 1. tit. 4. q. 4. num. 14. Mercurium lib. 2. Mauriceau lib. 2. c. 10. Sennertum tom. 2. Operumque 3. lib. 4. par. 2. sect. 6. c. 4. Maziero Sogno Chirurgo giornata 1. & alios, qui figuris plurimos modos delineant, quibus difficilis partus contingit. Hinc Hippocrates 5. aphoris. 56. dicebat: *Quæcunque utero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo*.

47. Causæ difficultatis sunt, vel quia uterus est debilis, & ad eiiciendum non insurgit, ac doloribus illis, qui ex uteri conatu

ad expellendum fœtum excitantur, gravida non corripitur: vel quia ſpiritus, & ſanguis, quæ ſunt inſtrumenta eiiciendi partum, non adſunt in ſufficienti copia: Item ſi in utero Gemelli, vel plures adſint, & eodem tempore exitum quærant; aut ſi fœtus molam cohærentem habeat, aut ſi eſt magnus, vel ſecundùm totum, vel ſecundùm caput; vel ſi vaſa umbilicalia aliquot gyris collum vinciant; vel quia tota aqua exiit ab utero; unde orificium, & vagina exſiccentur; ac propterea dilatari nequeant, ùt opus eſt. Inter partus difficiliores enumerantur, quando infans Natibus, Dorſo, Ventre, Pectore, vel manibus, pedibuſque oſculo uteri obverſis exire tentat. Si quis figuras horum partuum cernere cupiat, Authores prædictos adeat.

48. Ex his omnibus, quæ apud Obſtetrices, Chirurgos, & Medicos ſunt inconcuſſa, infero, dari ſæpe caſum, in quo cavitas uteri ſit aperta, & tamen puer ſit intra ipſam cavitatem, vel intra ipſum collum, & nulla pars extra appareat, & hic ſecundus caſus anno 1705. die 26. Decembris hora 22. mihi accidit. Aſſiſtebam cuidam gravidæ Animam agenti, quia parere nequibat, & ipſam hortabar, ut morti ſe ſe libenter diſponeret; cùm Obſtetrix cognovit ex tactu caput infantis eſſe in orificio interiori. Tunc præcepi, ut madefacta tela ſubtili infantem abluere conaretur, quod Deo dante Obſtetrix peregit. Inſperatò poſtea natus eſt fœtus, & iterum ſub conditione baptizatus fuit ob dubium, quod ingerit oppoſita opinio. Cæſar Fortini Egregius Chirurgus Monticuli in Piceno anno præterito die 18. Octobris puerum & ipſe in uterò baptizavit, & ſedulò hanc veritatem Obſtetrices edocere ſtudet. Utinam pii viri exemplum cœteri imitentur. Ex doctrina hujus Paragraphi patet, dari duos caſus, in quibus totus infans reperitur intra uterum, & tamen uterus eſt apertus. Poteſtne ergo tunc puer baptizari?

CAPUT IV.

Aperto Utero Infans in Utero phyſicè baptizari poteſt.

49. QUæſtio fieri nequit, an infans in utero, ſi ipſe uterus ſit clauſus, poſſit baptizari; quia, cum baptiſma ſit quædam ablutio, dicebat D. Thom. 3. par. q. 68. art. 11. & ſit

& sit decisum c. *Spiritus sanctus* de consecr. dist. 5. in quo omnes nunc conveniunt, licet Antiquorum nonnulli consistere in aqua dixerint; infertur infantem in utero, ipso clauso, non posse baptizari. Porro num. 39. docui uterum esse clausum, antequam instet partus sive naturalis, sive præternaturalis.

50. Dices infantem baptizari posse abluendo matrem; nam infans est portio matris ex l. 1. §. 2. ff. de inspic. ventr. & l. *ventre* ff. de acquiren. vel omitt. hæred. & à Galeno class. 1. lib. 15. de usu part. c. 5. cum Hippocr. 5. aphor. 45. nomine ventris appellatur, & à Medicis puer in tali statu comparari solet fructui ramo arboris inhærenti.

Sed contra, nam ex D. August. in c. *si ad matris* de consecr. dist. 4. sic sequeretur, infantem non posse baptizari, *si mater ejus, dum illum gestaret in utero, urgente mortis periculo fuisset baptizata*; & tamen de fide est ex Tridentino sess. 5. can. 4. *pueros recentes ab uteris matrum*, etiam baptizatarum, esse baptizandos, de quo vide etiam Concilium Milevitanum in c. 2. relatum in c. *placuit, ut quicunque* de consecrat. dist. 4. Tum quia ex eodem Trident. can. 3. sicut unicuique *inest peccatum originale, unicuique proprium*, ita unusquisque proprio baptismo est abluendus. Tum quia infans non unitur matri tanquam pars, & membrum, sed tanquam arbor terræ, ùt notat Graaf. *Sicut ergo Arbor, & Terra sunt duo composita omnino distincta, ita Mater, & Puer*. Porro à legibus, & Medicis fœtus appellatur Venter per Metonymiam, accipiendo continens pro contento. Hinc Glossa in d. l. 1. de inspic. ventr. V. *portio* infans dicitur portio matris solùm *secundùm quid*. Ergo propriè loquendo puer in utero non est pars matris. Illa comparatio medica cum fructu, & ramo arboris sententiam meam plurimùm confirmat, quia fructus, & ramus sunt duo composita toto cœlo diversa, & distincta.

51. Dicendum igitur: instante partu sive naturali, sive præternaturali, infans in utero physicè baptizari potest.

Ut probetur hæc veritas, quam evidentem credo, licèt Theologi antiqui unanimiter hoc negaverint, hìc recolendum illud principium esse, nempe credendum peritis in arte l. 1. ff. de insp. ventr. *l. semel*. C. de re milit. c. *proposuisti*. c. *causam matrimonii* de prob. c. *fraternitatis* de frigid. & malef. c. *significasti* el. 2. §. 3. de homic. hinc Gloss. in c. *ut veterum* 9. dist. V. *Græci* dicebat: *magis esse credendum Augustino in disputationibus, Hieronymo in translationibus, Gregorio in moralibus*, quia scilicet Augustinus peritior erat in disputationibus, Hieronymus in translationibus,

& Gregorius in moralibus; & Hieronymus in prologo Scripturæ ad Paulinum ex Horatio scribit; *Quod Medicorum est, promittunt Medici: tractant fabrilia fabri*; hinc etiam Propertio canere placuit: *Navita de ventis, de tauris narrat arator: Enumerat miles vulnera, pastor oves*; & Imperator in l. 1. §. *omnibus authoribus*, non omnes in omnibus, sed certi per certa, vel deteriores, vel meliores inveniuntur.

52. Porro in nostro casu Obstetrices, Chirurgos, & Medicos esse solos peritos, non Theologos, est evidens, nam in d. l. 1. solæ honestæ mulieres inspiciunt uterum ad cognoscendum, an sit gravidus. In d. c. *proposuisti*, & c. *Causam matrimonii* solæ mulieres adhibentur ad videndum, an mulier sit virgo; & in c. *significasti* ad decernendum, an aliquod vulnus sit grave, vel leve; & sic, an aliquis incurrerit in irregularitatem, necne, præcipitur, ut *peritorum judicio Medicorum stetur*; & ex sola authoritate doctissimi Hippocratis in *l. septimo*. ff. de statu hom. deciditur partum septenem esse legitimum. Ergo etiam in casu nostro, ut determinetur, an uterus gravidus possit ablui, solos Medicos, Chirurgos, & Obstetrices debemus consulere, non Theologos. Fateor equidem posse etiam Theologos artem medicam, chirurgicam, & obstetricantem ediscere, ut revera allegati Recentiores didicerunt; tamen veteres Theologi, & juniores antiquam opinionem sequentes hujusmodi Facultatibus operam non dederunt, ut legenti præsentem quæstionem in illis apertissimè constat. Solus Pater Comitolus Obstetrices interrogavit, quæ quidem plenè non callent ea, quæ necessaria sunt pro recta decisione nostræ difficultatis. Et quia solùm Obstetrices consuluit, ipse quoque deceptus fuit, ùt patebit infra.

53. Bifariam infans in utero existens ablui potest. Primò quidem aliquo instrumento, quo injiciatur aqua in uterum, sicut Chirurgi tali instrumento utuntur ad injiciendos convenientes humores in ipsum uterum, quando laborat v. g. hydrope apud Sennertum lib. 4. par. 1. sec. 2. c. 11. fin. & illud vocant Clysterem, sicut & in l. *item si Obstetrix* ff. ad l. Aquil. Secundò, immittendo manum in uterum, & habendo intra digitos parvam spongiam aqua imbibitam.

54. Instante partu vel utroque modo, vel uno ex illis, infantem in utero posse ablui certum puto. Pro primo audiamus Franciscum Mauriceau in suo tractatu de morbis gravidarum in italum sermonem converso lib. 2. c. 33. pag. 289. Hic acerrimè tuetur fieri non posse incisionem cæsaream vivente matre. Ipsi objiciebatur hujusmodi operationem esse celebrandam, ut baptizetur infans,

sans, si enim talis incisio non fieret, puer moreretur in utero sine baptismate. Ut ergo prædictus Author diluat præfatum objectum, sic scribit: *Che non si può trovar' alcun caso, nel quale non si possa dar' il Battesimo, mentre che il fanciullo è ancora nel ventre della Madre, essendo facile di portar con una siringhetta ben netta l'acqua sopra qualsivoglia parte del suo corpo; e sarebbe inutile il dire, che l'acqua non vi si può portare, perche è involto nelle proprie membrane, che glie l'impedirebbero; perche si sa già, che si possono con ogni facilità rompere in caso, che non lo fossero; dopo che si può con tutta facilità toccar' il corpo con la siringa; e se si presuppone, che l'orificio interno della Matrice non sia sufficientemente aperto, è facile à rispondersi, perche bisognerebbe presupporre, che non fosse in travaglio, perche per poco, che lo sia, si può abbastanza dilatare per poterlo battezare, benche fosse necessario fargli qualche violenza con qualche stromento.* Hucusque Author. Ecce tempore, quo infans egredi tentat, non solùm ablui potest, sed etiam hoc facilè fit: *Essendo facile di portar con una siringhetta, &c. Doppo che si può con tutta facilità toccar il corpo con la siringa.* In fine hujus capitis Author ponit figuram, in qua delineata videntur varia instrumenta, quibus incisio cæsarea perficitur; videtur etiam litt. I. K. L. illud instrumentum triplici figura compactum, quo matrix aperitur, & litt. N. cernitur illud, quod vocat *siringhetta*, & quo utitur ad faciendas injectiones usque ad fundum matricis. Si Lector videbit hæc instrumenta, certò comperiet, esse omnino verum, quod Author dicit, esse nempe facilem ablutionem pueri in utero, adhibendo tale instrumentum; & hinc libenter priscos Theologos oppositum docentes cum reverentia dimittet. Idem Mauriceau c. 29. pag. 273. narrat Parisiis in suburbio Sciamblì anno 1672. fuisse magnam quæstionem inter Parochum loci, & quendam Regularem Theologum. Parochus nolebat posse baptizari infantem in utero existentem, & vita periclitantem; contra rationabiliùs sentiebat, inquit Author, Theologus illo Parocho doctior, & totis viribus probabat, debere baptizari, nec permittendum esse, ut æternùm periret.

55. Miror valdè, Patrem Natalem Alexandri, & Gasparem Juveninum hanc veritatem à Maureceau non didicisse, cùm viverent cum ipso Parisiis, & forsan eodem tempore. Pater Ludovicus Scildere, & Georgius Gobat de Sacram. tract. 2. num. 57. utuntur tali instrumento ad baptizandum nostrum infantem, & monent, jure merito, aquam immittendam debere esse calidam, quia frigida noceret utero ex Hippocr. 5. Aphor. 22.

 56. Quoad

56. Quoad secundum ablutionis modum, dubitandum non est instante partu sæpe posse immitti manum in uterum; & sic spongia madefacta puerum ablui. Accipiat quis sinistra infantulum recenter natum, ponat dexteram supra ejus pectus, videbit puerulum esse majorem manu tum longitudine, tum latitudine, tum profunditate. Tum in hunc modum secum ratiocinetur. Hic infans, qui major est, potuit egredi ab utero, ergo hæc manus, quæ minor est, poterit ingredi in uterum. Eadem est via dicebat Aristoteles 2. physic. *Athenis Thebas, ac Thebis Athenas*. Præterea aliquando infans duplicatus nascitur; hoc certè longè minor est manus; ergo multò magis poterit ingredi, præcipuè cum habeat majorem vim faciendi sibi viam.

57. Confirmatur authoritate Medicorum, & Chirurgorum, qui in Tractat. de partu, vel de extractione secundinæ retentæ, vel pueri mortui in utero, expresse, & clarè dicunt posse immitti manum in uterum; quia verò in c. *significaverunt*, & c. *cum causam* de test. maxima multitudo testium pro decisione causæ prohibetur; ideo solùm quadraginta testes pro hac veritate adducam, quia talis numerus expresse conceditur d. c. *cum causam*. Ita ergo dicunt Hippocrates sec. 3. de superfætatione, Aetius tetrabil. 4. serm. c. 22. Paulus Ægineta de re medic. lib. 3. cap. 76. Avicennas lib. 3. Fen. 21. tract. 2. c. 14. 25. & 28. Trotula de passion. mulier. c. 17. Albucasis lib. 2. method. medend. c. 75. & 76. Arnold. Villanov. lib. 3. Breviar. c. 5. Valescus de Taranta in Philonio lib. 6. c. 20. Rodericus à Castro Lusitan. de morb. mulier. lib. 4. cap. 2. 5. & 6. Nicolaus Rocheus de morb. mulier. curand. c. 30. cum Fuchsio. Albertinus Bottoni de morb. mulier. lib. 2. c. 80. Scipio Mercurio *La Commare* lib. 2. c. 2. Joann. Michael Savonarola Pract. major tract. 6. c. 21. rubr. 31. & 32. Petrus de Largelata lib. 5. tract. 19. c. 27. Ambrosius Paræus de homin. generat. lib. 23. c. 14. Joan. Marinellus de medic. mulier lib. 3. c. 12. & 13. Vidius Vidii tom. 2. par. 2. lib. 11. c. 34. Hieronymus Mercurialis de morb. mulier. lib. 2. c. 4. Joan. Baptis. Soris *Tesoro di Chirurgia* lib. 7. c. 33. Paulus Barbetta in Opere Chirurgico part. 1. c. 23. Balduinus Ronsæi de humanæ vitæ primordiis c. 22. Guilel. Rondeletius in method. curan. morb. de partus difficul. c. 64. Hieronymus Fabrit. ab Aquapend. Operat. Chirurg. par. 2. c. 86. Petrus Salius Diversus in Avicen. lib. 3. Fen. 1. tract. 2. c. 26. Donatus Antonius ab Alto Mari de meden. human. corp. malis c. 114. Victor Trincavella de ration. curand. particul. human. corp. affectus lib. 11. c. 23. Alex. Massaria Pract. med. lib. 4. c. 13. Lazarus Riverius Praxeos medicæ lib. 15. c. 18. Zacutus tom. 2.

lib. 3.

lib. 3. c. 18. litt. E. Ludovicus Mercatus tom. 4. lib. 4. c. 3. pag. 724. Raymund. Jo; Fortis de Febr. & morb. mulier. *Fœtus mortuus* pag. 420. Michael Etmulerus tom. 2. Collegii pract. sect. 7. art. 3. membr. 3. de fœtu mortuo. Sennerti tom. 2. Operumq. 3. lib. 4. par. 2. sec. 6. c. 3. fin. & c. 5. ubi allegat Joannem Schenchium. Joan. Dolæus in Encyclopedia medica lib. 5. c. 7. de partu laborioso. Franciscus De le Boe Sylvii Praxeos medica lib. 3. c. 7. de partu læso à num. 163. ad 169. Isbrandus Diemerbroeck Anatom. lib. 9. c. 15. Bernardinus Christini *Prattica Medicinale de mali delle Donne.* c. 20. Hic Author composuit hoc Opus postquam recepit habitum D. Francisci illius Familiæ, quam Observantium vocant. Denique ita sentit Philippus Maziero *nel Sogno Chirurgo* giornata 1. Hic experientissimus Chirurgus adhuc vivit, unde potest viva voce docere incredulos hujusce rei, si adhuc post tot, & tantos testes superessent; quia verò solùm Patavii moratur, increduli absentes interrogabunt Obstetrices, & Chirurgos Obstetricantes, ut tandem hanc veritatem edifcant, quiescant, & credant, potuisse totum Theologorum antiquorum agmen in hac re deficere.

58. Juvat hìc præcisa verba Hippocratis referre, ut credere cogantur Adversarii ita reliquos Medicos sentire: Quòd si, inquit ipse loco allato, extra Uteri osculum, verùm intra pudenda fuerit, (puer) *manibus immissis* caput apprehensum extrahito. Si autem fœtus maneat mortuus, nec sponte, nec per medicamenta naturaliter excidat, *manu cerato maximè lubrico illita, & in uterum inclusa humeros à cervice valido pollicis appressu dividito*. Hactenus Hippocrates. Nota in collum uteri posse immitti utramque manum: *manibus immissis*. In uterum tamen sola manus immittitur: *Manu*. Hæc verò manus immissa in uterum valido pollicis appressu potest humeros revellere à capite: *humeros à cervice valido pollicis appressu dividito*. Non poterit eadem cum parva spongia madefacta humeros, & cervicem abluere?

59. Mauriceau ulteriùs progressus est, & c. 13. pag. 222. docet, ut cognoscamus, an infans in utero sit vivus, ut *manu in matricem immissa*, & pueruli brachio apprehenso, vel vase umbilicali tactu percipiamus, an arteriæ motum suum peragant, necne. Hæc eadem manus non poterit manus, pedes, ventrem, dorsum, caputque infantuli madefacere?

60. Ut verò Adversariis morem geram, & ex Patribus demonstrem hunc modum probandi veritates Theologicas testimonio Obstetricum, & Medicorum, affero testimonium Tertulliani luce

meridiana splendidius. Lib. de Anima c. 25. totus est Author, ut convincat Philosophos, & Hæreticos animam infundi, antequam puer ab utero exeat. Ex duobus capitibus hoc præstat. Primum ex testimonio matrum his verbis: *Ne ex Medicis quidem defuit Hicesius, & Naturæ, & Artis suæ prævaricator.* (Ex eo quia tenuit fœtum non animari ante partum.) *Puduit, opinor, illos hoc statuere, quod fœminæ agnoscerent. At quantò ruboratior exitus à fœminis revinci, quàm probari;* in ista namque specie nemo tam idoneus magister, arbiter, testis, quàm sexus ipsius. *Respondete matres,* vosque prægnantes, vosque puerperæ. *Steriles, & masculi taceant. Vestra natura veritas quæritur, vestra passionis fides convenitur, an aliquam in fœtu sentiatis vivacitatem alienam de vestro, de quo palpitent ilia, micent latera, tota ventris ambitio pulsetur, ubique ponderis regio mutetur.* Ecce ad probandum pueros in utero habere animam, *nemo tam idoneus magister, &c.* quàm mater. Ergo etiam nemo tam idoneus in nostro casu, quàm mater. Igitur Tertulliani verba usurpans dicam: *Respondete matres, vosque prægnantes, vosque puerperæ. Steriles, & masculi taceant. Vestra natura veritas quæritur, vestra passionis fides convenitur,* an istante partu sentiatis manum alienam volventem fœtum, *de quo palpitent ilia, micent latera, tota ventris ambitio pulsetur, & ubique ponderis regio mutetur.* Si quis hæc negaret, procul dubio Tertullianus subjungeret: *Puduit, opinor, illos hoc statuere, quod fœminæ agnoscerent.*

61. Secundum caput, quo Author probat infantes in utero esse animatos, habetur illis verbis: *Atquin & in ipso adhuc utero infans trucidatur necessaria crudelitate,* cum in exitu obliquatus denegat partum, matricida ni moriturus. Itaque & inter arma Medicorum *Organon est,* quo priùs patescere secreta coguntur *tortili temperamento;* cum *Anulo cultrato,* quo intus membra cæduntur anxio arbitrio; cum *Hebete unco,* quo totum *pecus* extrahitur violento puerperio. *Est etiam aneum spiculum, quo jugulatio ipsa dirigitur cæco latrocinio....* Hoc & Hippocrates habuit, & Asclepiades, & Erisistratus, & majorum quoque prosector Herophilus, & mitior ipse Soranus.

62. Ecce per Tertullianum Etnicorum barbaries invenit instrumenta, quibus adhibitis non *necessaria,* ùt ipsi crudeliter autumabant, sed libera crudelitate cædebant in frusta miserrimum infantem in utero; & ideo trucidabant, quia, fœtus fatali eventu cadens obliquatus in orificium interius, & ipsum vel nolendo, vel non valendo in rectum dirigere, ùt faciunt nostræ Obstetrices,

ces,

ces, metuebant, ne matricida evaderet. Evidens nunc efformo argumentum: Etnicorum impietas invenit instrumenta effundendi sanguinem pueri in utero, ipsumque in frusta laniandi: Christianorum pietas instrumenta non inveniet, quibus super eundem puerum parum aquæ effundatur? Nunquid facilius erit infantem *laniare*, quàm *lavare*? Pudeat charitatem christianam hoc credere.

63. Habetur hìc argumentum evidens contra Probabilioristas nos rigidissimè obligantes ad consulendos Patres, ut casus conscientiæ resolvamus. Ipsi dicunt nos non posse abluere infantes in utero. Quo, quæso, Patrum testimonio illud antecedens tam confidenter enuntiant? Si ejusmodi auctoritates afferrent, digni quidem excusatione essent, si cum talibus errarent ex D. Hieron. Epist. 11. c. 3. inter D. Augustini. Verùm credo ipsis nos illud palmare objicere posse: *Patere legem, quam tu ipse tulisti* c. *cum omnes* de constit. l. 1. ff. quod quisque juris, & illud: *Aliis legem non esse imponendam, quam nolumus servare*. c. *pro illorum* de præbend. Posthac legant Tertullianum, si nolint in hac quæstione consulere peritiores, & fatebuntur evidentem esse talium puerorum ablutionem.

CAPUT V.

Objecta contra ablutionem puerorum in uteris existentium diluuntur.

QUamvis conclusio capite præcedente statuta sit evidens; adhuc tamen adversùs eam argumenta alicujus momenti tum ex Medicinæ, tum Theologiæ principiis desumpta adduci possunt, quæ nunc operæ pretium est adamussim dissolvere.

64. Objciunt primò hanc manus immissionem in uterum esse experimentum periculosum, & difficile; atque adeo mulierem acerbissimis doloribus afficiet.

Sed contra, quia propter hoc est experimentum Medicorum: Audi Hippocratem Aphor. 1. sic dicentem: *Vita brevis, ars longa, occasio præceps, experimentum periculosum, judicium difficile*. Nonne mulier, ut puer mundo nascatur, vel ut extrahatur, si sit mortuus, similia, & majora patitur? cur ergo, ut gignatur

gignatur Cœlo, talia pati non debebit? Agrippina teste Tacito Annal. lib. 14. ingentem adeo lætitiam concepit ex Astrologorum vaticinio dicentium ejus Filium, Neronem, quem utero gerebat, evasurum quidem Romanum Imperatorem, sed simul suæ matris occisorem futurum, ut insana exclamaverit: *Occidat, dum imperet*. Nostræ mulieres non vano Astrologorum dicto, sed Dei testimonio certiores factæ prolē baptizatā cœlo imperaturam, hilares non patientur quoslibet dolores, & cruciatus, ut sacro fonte lustretur?

65. Objiciunt secundò. Certum est infantem in utero à membranis ambiri. Ergo nequit immediatè tangi ab aqua, ùt requiritur ad Sacramentum; hinc Doctor Subtilis dicebat infantem in Corio inclusum baptizandum fore, si aqua pertingeret ad corpus, secus, si non pertingeret.

Sed contra primò, quia est opinio plurium tum Antiquorum, tum Recentiorum asserentium infantem inclusum in secundinis validè baptizari. Antiqui sunt Aureolus in 4. dist. 5. q. 1. Angelus V. *Baptismus* 6. num. 4. Rosella V. *Baptismus*. num. Sylvest. V. *Baptismus* 4. q. 1. Armilla V. *eod.* num. 27. Tabien. V. *Baptismus* 5. num. 4. Recentiores videre poteris apud Dianam par. 5. tract. 3. resol. 75.

66. Sed accipe veritatem physicam. Infans instante partu se solvit à secundinis illas pedibus, & manibus lacerando. Sic dicunt Aetius c. 3. Bottoni c. 32. Mercurius lib. 1. c. 6. Paræus c. 13. Melchior Sebizii Exercitationes medicæ pag. 600. Diemerbroeck lib. 1. c. 35. Lucas Tozzi par. 1. Medicinæ de partu. Hieronymus Capivacceus Pract. lib. 4. c. 8. litt. D. Franciscus Stochamer Microcosmographia c. 18. pag. 240. qui asserit ita vehementer puerum calcitrare, *donec eas*, membranas, *omnino disrumpat*. Ita etiam plerique asserunt ex allegatis Authoribus; hinc supervacaneum esset longum Catalogum texere, quibus præiverat Antiquissimus Hippocrates de natur. pueror. his verbis: *Quando verò mulieri partus instat, tum se movente puero, & manibus, ac pedibus se jactante membranam quandam internam abrumpi contigit, deinde postremam; ruptis autem membranis tum fœtus vinculo solvitur, & agitatus foras prodit*; & infra. Puerque jam plenior factus plus alimenti, quam adsit, requirat, *ipse se se jactans, membranas disrumpit*; & infra: *Puer autem, ubi circum circa disrupta sunt membrana; si quidem suo momento in caput magis inclinat, facilè mulier parit; quòd si in latus, aut pedes prodeat ...... difficilem partum mulier sentiet*. Hactenus Hippocrates. Habes per hunc textum priùs infantem se solvere à mem-

membranis, postea se inclinare, seu descendere ad orificium interius; & sic postea exire; & hunc puerum non se exuere illis membranis eo modo, quo serpens pelle antiqua se spoliat transeundo per angustum foramen, ùt credebat quidam Vir doctus, & domnus meus. Quòd si aliquando membranæ priùs non lacerentur, hoc fieri poterit ab Obstetrice. Ita te docent Practici sequuti Albucasim lib. 2. c. 75. hæc scribentem: *Deinde intromittat* (in uterum) *Obstetrix intra digitos suos spatumile parvum*, & findat cum eo secundinam, & secet eam ungue suo, *donec effluat, quod est in ea de humiditate*.

67. Objiciunt tertiò in partu fieri dearticulationem ossium iliacorum, vel pubis, ùt docent Ambrosius Paræus, & Riolanus apud Mauriceau lib. 2. c. 1. pag. 163. & Pinæus apud Laurentium ubi infra, & alii innominati apud Mercurialem. Quinimo hæc dearticulatio videtur innui ab Hippocr. de natur. puer. prope finem illis verbis: & totum quidem corpus dolor occupat, præcipuè verò lumbos, & coxendices, *quæ ipsis diducuntur*. Hinc utiq; infans egredi potest in partu; non sic poterit ingredi manus, cum manus nequeat facere talem dearticulationem.

Respondeo alios Authores validissimè hujusmodi dearticulationem rejicere, inter quos Andreas Laurentius Anat. lib. 8. q. 33. & Mauriceau ubi supra, & hic delineat regionem hipogastricam fœminæ, ac ad oculos exprimit esse adeo amplam, ut infans egredi queat absque alia dearticulatione. Hoc pridem tradiderat instaurator Anatomiæ Andræas Vessalius in Fabric. human. corp. lib. 1. c. 29. Certè videmus fœminas habere latera ampliora, quàm mares teneant, & observat Mauriceau. Tum quia Medici, & Chirurgi, & narrat etiam Tertullianus, infantem mortuum in utero extrahunt infigendo hebetem uncum in corpus. Tunc, inquiro, vel accidit dearticulatio, vel non. Si primum; ergo est in nostra potestate facere talem dearticulationem. Si secundum; ergo, sicut Corpus infantis, quod majus est, potest egredi absque dearticulatione, manus, quæ minor est, poterit ingredi absque dearticulatione. Omitto alias rationes, quibus hujusmodi dearticulatio penitus rejicitur, quia exigunt pleniorem Anatomiæ cognitionem.

68. Objiciunt quartò. Post partum fœminæ habent per plures dies purgationem humorum, ùt dicitur Levit. c. 12. & notat Hippocrates de natur. puer. ergo illi humores madefacient spongiam, qua fit ablutio, & aquam reddent ineptam pro baptismo. Tum quia spongia tangeret latera Vaginæ; ac proinde inficeretur ab humoribus; atque adeo esset inidonea baptismo.

Sed


Sed contra: Quando puer in latus descendit ad orificium uteri interius, ea pars pueri, quæ respicit collum uteri, à nullo humore circumdatur; ergo illam partem abluere poteris. Præterea Senerti c. 3. cum reliquis docet ante partum egredi humores, qui laxant orificium interius, & vaginam, ut fœtus faciliùs exeat. Aliquando tales humores prorsus egrediuntur ante fœtum; & tunc partus difficilis redditur, ùt notant Doctores, inter quos Bottoni c. 75. pag. 71. Sebizius pag. 598. Zachias lib. 1. tit. 4. q. 4. num. 11. cum Paræo, & Columbo. Ex his patet puerum ampliùs non innatare in humoribus, ùt faciebat, dum ambiebatur à membranis. Humores, qui effluunt post partum, & à Medicis vocantur Lochia, sunt in duplici genere, alii sanguinei, qui in plerisque veniunt, & à venis descendentes post partum per uterum transeuntes foras erumpunt. Ita Sebizius pag. 650. Mauriceau c. 9. Alii sunt Muci, Phlegmata, & aquæ, & hi quoque post partum sese exonerant in uterum ex Sebizio. Sæpe etiam cum partu sequuntur humores fluidi; sed hoc accidit in partu facili, & naturali, in quo casu non licet ministrare sacramentum; hoc enim solùm est celebrandum, quando ob difficultatem pariendi metus est, ne puer moriatur in utero, in quo casu vel pauci, vel nulli humores supersunt in utero, cum per id tempus obstetrix movendo infantem ipsis viam exeundi faciat. Ad secundum. Illa parva spongia aut parum, aut nihil tangeret de lateribus vaginæ, quia haberetur intra digitos.

69. Objiciunt quintò. in c. *contraria* de consecr. dist. 5. habetur præcepta medica esse divinæ cognitioni contraria, & in c. *nec aliqua* 22. q. 1. & c. *causam matrimonii* de probat. asseritur, manus, & oculos Obstetricum sæpe falli. Tum quia in l. fin. C. *quando tutor. & curat. desinant* rejicitur indagatio corporis tanquam quid inhonestum. Ergo Obstetrices certum testimonium non faciunt, & nefas est inhonesto intuitu, & à legibus reprobato conferre Sacramentum.

Verùm facilè objectum diluitur. Ad Canonem *Contraria* patet responsio ex textu, qui loquitur de quibusdam præceptis Medicinæ *Studiosis*, hoc est præscribentibus quædam nimiùm scrupulosa ad Sanitatem tuendam, quæ possent esse contraria præceptis divinis, & Ecclesiasticis, v. g. revocare à jejunio, à meditatione divinorum, &c. Ita Paulus Zachias in qq. medico-legal. lib. 6. tit. 3. q. 4. num. 15. Vide Glossam, & Turrecrematam in hunc canonem. Quoad canonem *Nec aliqua*, & c. *causam matrimonii* loquuntur de Virginitate probanda, ùt patet textu, & & Glossa. In tali casu Obstetrices sæpe fallunt, & falluntur.

In

In quo integritas Virginalis consistat, est plurimùm controversum. An implicet quandam membranam, hinc inde pugnacissimè certatur apud Sennerti tom. 2. lib. 4. par. 2. sec. 3. c. 1. q. 2. & Zachiam lib. 4. tit. 2. q. 2. Est certum implicare angustam meatuum compositionem. Angustam illam compositionem, quam etiam obstetrices cognoscunt, & partium coalescentiam ab infelicibus puellis deperditam per remedia medica Ars reparare potest ex Zachia lib. 3. tit. 2. q. 7. quicquid dubitent Casuistæ aliqui, qui Medicinam prorsus ignorant. Consule Medicos, qui te de hoc reddent certum. Inducta ergo hac partium compositione audaces illæ puellæ se pro Virginibus venditant, & se obstetricum explorationi subjiciunt, à quibus non cognitæ Judices, qui soli obstetricum testimonio fidunt, & multò magis Amasios amore ebrios egregiè decipiunt. Ipsi quoque Medici, nisi sint Anatome valde periti, possunt quandoque fallere, & falli in hoc casu, ùt patet ex Zachia ibidem. Ast in nostro casu agitur de objecto magno. Agitur de Corpore, de capite, de pectore, de dorso, de manibus, de pedibus, &c. pueruli, quæ omnia per manus, & oculos Obstetricum, Chirurgorum, & Medicorum rectè cognosci posse negabunt solùm Academici, qui apud D. Augustinum lib. 3. contra Academ. c. 16. scientiam de quolibet audacter respuunt. Ad illam legem dico cum Glossa V. *cessante* valere solùm quoad tutelam. Imperat ergo lex, ut cognoscatur, an filius sit pubes, & sic non sit subjectus tutelæ, non esse aspiciendum corpus filii; & jure hoc præcipitur, quia, cum Tutela sit instituta à Principe, potest ex sua voluntate determinare tempus Tutelæ, præcipuè quoad parvam differentiam. De reliquo in c. *puberes* de despon. impub. corpus inspicitur, ut probetur, an validè matrimonium fiat, ùt notat Glossa ibidem V. *ostendit*. Idem patet in aliis juribus ex dictis. Si ergo corpus inspicitur, quando agitur de validitate matrimonij, inspicietur à fortiori, quando agitur de baptismo, utpotè de Sacramento longè magis necessario, nec in hoc aspectu ex tanta necessitate facto aliqua indecentia relucet, sicut nec relucet, quando fit ex necessitate cognoscendi, an tempus pariendi instet, &c.



CAPUT VI.

Infans in Utero per artem visibilis, sed visibilitas ad validitatem Baptismi non requiritur, sicut nec Nativitas, quæ fit matre pariente. Embryo habens Animam rationalem potest validè baptizari.

70. PAter Paulus Comitolus in Resp. moral. q. 13. quia sibi videbatur absurdum non defendere opinionem, quam Theologi *antiquitate, & scientia gloria insignes* tam frequenti calculo defendebant, & ex alia parte à peritis instructus cognovit principale fundamentum illius sententiæ inniti falsæ rationi, invenit modum novum illam tuendi. Consuluit Obstetricem *Experientissimam*, à qua didicit infantem in utero *non esse visibilem*, licèt ab aqua tangi posset. Dictus ergo Author asserit ad Baptismum requiri visibilitatem subjecti baptizandi; & hinc negat cum Antiquis sacramentum illis puerulis. Indubium est Obstetricem per artem obstetricandi non posse reddere fœtum visibilem; namque ipsa dilatat collum uteri pinguedinibus, oleis, unguentis, & balneis, ùt patet ex Mercurio toto lib. 2. & præcipuè c. 23. & ex aliis Peritis, quibus remediis non fit dilatatio adeo magna, ut uterus introspici queat. Ignoscendum est ergo Patri Comitolo, si deceptus fuit ab illa *experientissima muliere*, quia non solæ Obstetrices, sed Medici, & Chirurgi callent, quinimo longè magis, hanc veritatem.

71. Dico primò certum esse infantem in utero posse per artem fieri visibilem. Hanc veritatem cognovit Tertullianus allatus num. 61. dum meminit instrumenti, quod vocat *Organon*, quo mulieres *patescere secreta coguntur tortili temperamento*; Medici enim, & Chirurgi, ut uteri cavitatem speculentur attentiùs, invenerunt quoddam instrumentum, quo vagina uteri adeo dilatatur, ut optimè cernere queant, quicquid in utero reperitur. Hoc instrumentum latinè nunc vocant *Speculum Matricis*; Ejus plures figuras videre poteris, ùt dixi, apud Mauriceau lib. 2. c. 33. fin.

fin. litt. I. K. & L. Admonet tamen Philippus Maziero rarò esse hujusmodi instrumentum adhibendum.

72. Dico secundò ad validitatem baptismi certò non requiri objectum esse proximè visibile, hoc est, actu lumine perfusum.

Probatur. Infans in medio noctis, quando nihil est lucis, potest baptizari; & Rituale Romanum imperans, ut baptizetur puer in utero existens, si tamen caput, vel aliud membrum exerat, non meminit luminis. Præterea Theologi Antiqui, & recentes docent equidem sacramentum per actionem humanam conferri, & quia censent puerum in utero non subiici operationi humanæ, ideo inferunt baptizari non posse. In hoc fundamento perpetuò firmantur Doctor Angelicus, & Subtilis. Verùm hæc actio humana requisita ad baptisma non est in genere visionis. Ut fiat Baptisma tria requiruntur, Ablutio subjecti, prolatio formæ, & intentio ministri ex Florent. in Decreto Eugenii. Ablutio est actio manuum communiter loquendo. Prolatio formæ est actio linguæ. Intentio est actus elicitus à voluntate. Ergo ad perfectionem sacramenti non exigitur actio humana *Visionis*.

73. Dices primò requiri Visibilitatem ex parte subjecti, quia homo, ut possit baptizari, debet nasci, idest in vitam venire, introire, ingredi, & in lucem edi, quæ omnia sunt synonima.

Sed contra, & concedo Grammaticos, & Rethores pro eodem accipere *Nasci*, & in lucem venire; at nego, *Nasci* de necessitate cum luminis perfusione connecti, nam infans egressus ex utero medio noctis, & in loco omninò clauso, & à lumine remoto dicitur natus, & est propriissimè natus; & tamen à nullo lumine ambitur. Ratio est, quia Grammatici, & Rethores significant objecta crassa minerva; unde sæpe sæpius unum pro alio accipiunt.

74. Dices secundò: Ecclesia dispensat sacramenta solùm hominibus sibi notis, & de suo foro; hæc autem implicant subjectum esse visibile. Tum quia Christus est lux Joan. c. 1. c. 11. c. 12. amat lucem, & tenebras odit; ergo est valde verisimile instituisse, ut sacramenta solùm conferantur iis, qui venerunt ad lucem.

Sed contra, quia Ecclesia debet illam cognitionem habere de personis, ut possit ponere ea, quæ sunt necessaria ad sacramentum. Ad quid enim ulterior cognitio? ex modò autem dictis constat, visibilitatem ad hæc non requiri. Sed nec visio est necessaria ad cognoscendum, an subjectum sit homo; Siquidem tactu percipimus Corpus esse humanum, & esse vivum; hinc Mau-

riceau

riceau tangendo vas umbilicale cognoſcit puerum in utero eſſe vel mortuum, vel vivum. Ad ſecundum, in principiis Probabilioriſtarum dicentium Probabilitatem non eſſe rectam regulam morum, quia Chriſtus ſe vocat veritatem, aliquam quidem veri ſpeciem præſefert argumentum illud, ſed revera nullius roboris eſt, quia Chriſtus eſt lux per ſimilitudinem, non per proprietatem; ſicut ex D. Auguſt. tract. 80. in Joan. *dicitur vitis vera, Agnus, Petra, & hujuſmodi per ſimilitudinem, non per proprietates*. Tum quia Matth. 10. Chriſtus ait: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*, & Luc. 12. *quoniam, quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur*. Ergo Chriſtus amat etiam tenebras. Ergo ſaltem in neceſſitate conferre poterimus ſacramenta inter tenebras.

75. Dico tertiò ad validitatem Baptiſmi non requiri Nativitatem, quæ fit *matre pariente*. Hanc concluſionem ſtatuo ùt certam.

Probatur evidenter. Partus Cæſareus eſt baptizandus; Sed in hoc caſu non habetur nativitas, quæ fit *matre pariente*; ergo, &c. Major eſt de fide ex illo Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Hinc Tridentinum ſeſs. 6. c. 3. dicit nullum deſcendentem ab Adam juſtificari, niſi renaſcatur in Chriſto, & c. 4. ſubdit hanc juſtificationem poſt Evangelii publicationem haberi non poſſe, *niſi per Baptiſma*. Vide etiam c. *firmiſſimè* 15. q. 1. Ad normam hujus Doctrinæ Rituale Romanum de Baptiſ. §. *de Baptizandis parvulis* præſcribit: *Si mater pregnans mortua fuerit, fœtus quàm primum cautè extrahatur, ac, ſi vivus fuerit, baptizetur*. Hanc doctrinam docuerunt Synodus Lingonieſis anno 1404. apud Patrem Alexandri de Baptiſ. c. 7. propoſ. 2. reg. 2. cum largitione quadraginta dierum indulgentiæ iis, qui manus adjutrices darent pro hoc baptiſmo; Synodus Senonenſis Anno 1557. D. Carolus in inſtructionibus Baptiſmi, & pridem idem tradiderunt Theologi cum D. Thom. par. 3. q. 68. art. 11. ad 3. & in facti contingentia D. Raymundus Nonnatus, de quo Eccleſia Romana die 31. Auguſti, ſic dictus, quia præter communem naturæ legem diſſecto matris mortuæ latere eductus eſt, fuit baptizatus.

76. Reſtat ergo, ut minorem noſtri argumenti probemus; quod facile præſtabimus; nam mulier, dum parit, activè ſe habet; ad partum enim, ùt obſervat inter alios Hieronymus Capivacceus lib. 4. pract. c. 8. ſunt neceſſarii puer, & mater, infans calcitrando, & diſrumpendo involucra, ùt diximus ex Hippocr. & aliis Medicis, mater tum virtute expultrice uteri, tum volun-

voluntario motu facto per musculos abdominis ex Galeno lib. 3. c. 3. de facul. natur. hinc Obstetrices hortantur parientes ad excludendum fœtum. Gugliel. Harv. de generat. Animal. exercit. 72. dicit partum fieri totius corporis motu. Tum quia partus est opus naturæ ex l. *Arescusa* ff. de stat. hom. ibi: ***nec enim natura permisit simul uno impetu duos infantes de utero matris excedere***. In partu cæsareo est evidens matrem efficientis causæ munus non exercere, sed tantùm passivæ, cum Chirurgus sit, qui matrem incidat, & apprehenso puero illum extrahat ab utero. Tum quia partus cæsareus maximè celebratur mortua matre, quæ certò, cum mortua sit, nihil facere potest. Ergo est evidens ad baptismum non requiri nativitatem, quæ fit ***matre pariente***.

77. Dico quartò ad validitatem baptismi non requiri, ut subjectū habeat tot dies cōceptionis, quibus, si per collum uteri exeat, dicatur nasci; sed sufficere, si solummodo tot dies habeat, quot requiruntur, ut corpus aptum reddatur ad Animam rationalem recipiendam; hinc omne compositum constans ex Anima rationali, & corpore, etiam imperfectè organizato, descendens ab Adam, potest validè baptizari.

Probatur. Quando infans ex utero egreditur ante septimum mensem, juxta communem opinionem vivere nequit, & tunc ille non dicitur natus, sed Abortus, & mater non dicitur parere, sed abortire, & abigere partum ex l. *si mulierem*. ff. ad l. Cornel. de sicar. de quò vide Zachiam lib. 1. tit. 2. q. 2. num. 14. & licet Concennatius singul. qq. 4. num. 4. lib. 2. trimestrem, & quadrimestrem partum velit esse legitimum ex eo, quòd Esdræ lib. 4. c. 6. dicatur prægnantes futuris temporibus parituras infantes trium, & quatuor mensium, quos Dominus suscitabit; & Avicenna lib. 1. de Animal. c. ult. & alii apud Zachiam num. 5. referant quinquemestres, & seximestres fuisse vitales; tamen nihil hæc officiunt, nam illa opinio Concennatii nullo fundamento fulcitur; illa enim authoritas Esdræ est potiùs ad oppositum, ùt notat Zachias. In textu non dicitur illos pueros victuros, sed ***suscitabuntur***. Ergo jam erant mortui; ac propterea, si iterum vivent, erit virtute Divina; adeoque priùs nati non fuerant, sed per abortum è ventre ejecti: Illa verò exempla cum Zachia dicimus esse naturæ miracula, quæ proinde legem, & ordinem ipsius naturæ non pervertunt; & ex ipsis jure ratiocinari nequimus ad cætera; sicut in moralibus, quæ rarò accidunt, non considerantur à legibus, sed solùm ea, quæ frequenter l. ***jura***. l. ***ex his***. l. ***nam ad ea***. ff. de leg.

78. Præterea in l. 2. C. de post. hered. instit. ùt notavi num. 22.

 dicitur

dicitur Abortum non rumpere testamentum; utique verò Natum, licèt per unum diem vixerit; ergo juxta leges fœtus aliquando dicitur natus, quando nempe tempore debito egreditur, & aliquando non dicitur natus, sed abortus, cum scilicet exit immaturè; unde abortus ex Zachia q. 10. num. 17. & Capivacc. ibidem propriissimè est, quando fœtus immaturè editur, ideît ante tempus determinatum, quod ad summum est septimus mensis. Sed quamvis hic fœtus non sit natus, quinimo sit propriissimè abortus, adhuc tamen, cum habeat peccatum originale, est omnino baptizandus; hinc in Rituali Romano de baptis. §. *de baptizand. parv.* præscribitur, *si infans aliquam partem emittat ab utero, & in illa cernatur motus vitalis, baptizetur.* Huic Doctrinæ subscribunt Theologi cum D. Thoma 3. par. q. 68. art. 11. ad 4. & Doctor Subtilis in 4. dist. 4. q. 3. & salva fide docente ex Tridentino sess. 5. can. 4. parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos, negari nequit.

79. Nunc difficultas est quonam tempore embryo Anima rationali donetur. Hoc est certum animam rationalem in utero Corpori induci, ùt notavit Lactan. de Opific. Dei c. 17. & contra Gentiles, & Hæreticos demonstrat Tertullianus de Anima c. 25. ùt dixi num. 60. & oppositum damnavit Innoc. Undec. propos. 35.

80. Divus Thomas par. 1. q. 76. art. 3. ad 3. docet priùs producì in corpore Animam sensitivam, & hac ablata postea intellectivam, sed non determinat tempus hujusmodi productionis. Hippocrates de nat. puer. asserit se vidisse aborsum sex dierum, & conspexisse fibras albas, & quoddam tenue, quod judicavit esse umbilicum. Paulò pòst in eodem libro asserit marem accipere primam concretionem ad summum die trigesimo; fœminam verò quadragesimo secundo. Subdit: *Ut plurimùm enim intra hoc tempus, vel paulò minus, vel majus ista distingui contingit.* Ex his videtur inferri embryonem animari per Hyppocratem trigesimo die, si sit mas, quadragesimo secundo, si sit fœmina.

81. Aristoteles lib. 7. c. 3. tex. 7. hist. animal. ait marem habere quadragesimo die distinctionem membrorum omnium; fœminam verò post tertium mensem; idcirco secundùm hanc opinionem his temporibus embryo animaretur. Pro hac sententia Menochius de arbitris casu 357. num. 3. affert Plinium lib. 5. histor. natur. c. 6. Lactantius de Opific. Dei c. 12. asserit totum Opus quadragesimo die consumari non distinguens inter marem, & fœminam. Huic opinioni subscribit Glossa in l. *Divus.* ff. de extraor. Crimin. V. *exilium.* Gloss. 5. dist. princ. V. *quadra-*

ginta

ginta vult marem animari quadragesimo die, fœminam octuagesimo.

82. Sed Thomas Fieno, ùt habet Zachias q. 2. num. 44. contendit embryonem animari Anima rationali tertio die à conceptione, & alii non desunt, qui à primo instanti conceptionis Animam rationalem infusam tuentur. Verùm hæc opinio apertè opponitur c. *quod verò*, & c. *Moyses*. 32. q. 2. in quibus clarè agnoscitur dari puerperium nondum animatum, & animatum, & præcipitur eum, qui hujus ejectionis causa sit, morte mulctari, illius verò pecunia; & in c. *Sicut ex* de homicid. expressè deciditur eum, qui abortus occasionem dederit, si conceptus animatus non sit, irregularem non fieri; utique verò, si sit animatus. De his vide Farinac. in Prax. & Theor. Crim. q. 122. num. 139.

CAPUT VII.

Nativitas ex Utero non requiritur ad validitatem Baptismi.

83. Duplex datur nativitas ex D. Augusti. allato num. 17. D. Thoma in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. quæstiun. 3. ad 2. & Albert. in 4. dist. 6. art. 9. In utero scilicet, & ex utero. Prima est ipsa conceptio hominis. Secunda est, quando infans transiens ab utero per vaginam prodit in lucem. De prima fit mentio Matt. 1. ubi de infante Jesu concepto dicitur: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Secundæ meminit Luc. c. 2. v. 11.

Pro certo habeo Nativitatem ex utero non requiri ad validitatem baptismi. Memoriæ maximè commendandum est, quid intelligam pro Nativitate ex utero; ita enim cuique evidens erit hanc conclusionem esse certam.

84. Probatur primò. Matt. 28. dicitur: *Euntes ergo docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Marc. 16. *Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*. Ecce omnis Gens, & omnis creatura est de necessitate baptizanda; cum ergo inter omnes creaturas, & Gentes reperiantur aliqui, & plures reperiri possiunt, qui vivunt, & non sunt egressi per Nativi-

tivitatem ex utero, sed per incisionem ventris mortua matre, vel etiam viva, sive incisio matris vivæ sit licita, sive illicita; sequitur posse baptizari non habentes nativitatem ex utero. Legimus in Historiis fuisse homines adeo vindicta barbaros, ut dissectis inimicorum uxoribus extraxerint ex uteris fœtus, & crudeliter jugulaverint. Quis, quæso, hosce infantulos *non natos*, sed *sævissimè abstractos* non baptizasset?

85. Confirmatur ex c. *majores* de baptism. dicitur tam Viros, quàm fœminas, tam adultos, quàm parvulos esse baptizandos, & *à baptismo nec sexum, nec ætatem excludi*. Sed homines, & fœminæ egressi per incisionem cæsaream sunt viri, & fœminæ, sunt vel Adulti, vel Parvuli, insuper habent sexum, & ætatem; ergo etiam hi sunt baptizandi; ac proinde nativitas ex utero ad baptismum non exigitur.

86. Probatur secundò. Nativitas extra uterum non habet aliquod peculiare, propter quod Christus voluerit ipsi alligare baptismum; ergo nullo fundamento exigitur ad baptismum hæc nativitas. Christus equidem absolutè loquendo quoad supernaturalia poterat ex mero suo beneplacito ita statuere, ut sua voluntas esset ratio faciendi; unde valeret illud dictum: *Sit pro ratione voluntas*. Tamen semper operatur ex aliqua ratione se tenente ex parte rei ex D. Bernardo homil. 2. super *Missus est*; hinc Theologi satagunt etiam, ut inveniant congruentias, quibus voluerit hoc tempore carnem assumere, & non alio. Probatur ergo antecedens. Per nativitatem extra uterum infans id habet speciale, quòd potest uti quinque sensibus, potest subjici operationi humanæ, potest vestiri, potest videri, &c. Subjectio ad operationem humanam per se quidem est necessaria ad Sacramentum; at supra à num. 53. demonstravimus infantem in utero subjici operationi humanæ; & num. 72. probavimus non requiri visibilitatem subjecti, vel si requiritur, num. 71. patefecimus infantem in utero fieri per artem visibilem; est autem certo certius non requiri, ut possit vestiri, nisi ad summum sermo sit de veste nuptiali, per quam placeamus Deo, & consistit in Gratia sanctificante; hac verò posse indui infantem *nonnatum* est evidens in sanctificatis in utero, sive per occultam Spiritus Sancti operationem, sive per martyrium. Non requiri verò potentiam utendi quinque sensibus, videtur esse manifestum. Tum quia alius dicere posset requiri potentiam proximam ambulandi; & sic possent solùm baptizari post annum contra *c. majores*, & contra fidem ex Tridentino sess. 5. can. 4. & alius apparentiùs exigeret potentiam proximam intelligendi, & volendi, ut impiè sustinent

Hære-

Hæretici damnati à Tridentino sess. 7. can. 13. de baptism. Tum quia, si infans habeat pedem, vel manum extra uterum, potest baptizari ex Rituali Romano, & plurimis Doctoribus; & tamen quinque sensus exercere nequit. Tum quia Fœtum in utero respirare, aliquando ejulare, lachrymari, dormire, vigilare, &c. Lucas Tozzi par. 1. Medicinæ *de Vita Fœtus in utero* cum Hippocr. Arist. & pluribus Recentioribus existimat.

87. Dices nativitatem extra uterum constituere hominem perfectè genitum; Christum verò instituisse, ut Sacramentum hominibus perfectè genitis conferatur.

Sed contra. Quia Scriptura dicit *omnes homines peccasse in Adam*, credimus etiam homines imperfectè genitos, homines nempe in utero, contrahere peccatum originale. Quia ergo Scriptura dicit *omnem Gentem, omnem creaturam esse baptizandam*, non debebimus ita amplè interpretari hunc favorem, sed illum coarctare ad creaturam perfectè genitam? Præterea, si effundatur trimestris, & quadrimestris vivus, baptizatur, & tamen est adeo imperfectè genitus, ut impossibile sit ipsum vivere; est etiam imperfectiùs genitus nonimestri, & decimestri existentibus in utero; quia isti habent potentias ita perfectè organizatas, ut sint vitales, & intrinsecè morti repugnates.

88. Probatur tertiò. Si ad baptismum exigitur nativitas ex utero, sequitur hominem in baptismo non renasci, seu non nasci denuo, sed tertiò nasci; sed hoc est absurdum ex D. Augustino relato num. 17. ergo, &c. major probatur. Ad baptismum necessariò requiritur nativitas in utero; sed per Adversarios requiritur etiam nativitas ex utero; ergo baptismus est tertia nativitas. Probatur major. In baptismo ex Tridentino sess. 5. can. 5. exuimus veterem hominem ad Ephes. 4. & illum sepelimus ad Rom. 6. ergo ad baptismum requiritur, ut producatur vetus homo; hic autem per solam nativitatem in utero gignitur. Sic etiam de fide in baptismo remittitur originale, & hæc remissio est primarius effectus Sacramenti: ergo ante baptisma existere debet peccatum originale; hoc autem sola nativitate in utero producitur; hinc infans mortuus in utero sine baptismo certò æternùm damnatur. Quòd si dicatur B. V. fuisse baptizatam, & tamen non habuisse peccatum originale. Respondeo, quia saltem habuit aliquod debitum contrahendi tale peccatum; per solam verò nativitatem in utero tale debitum contrahitur.

89. Confirmatur. Infans habens manum, aut pedem extra uterum potest retrahere illam manum, aut pedem, vel Obstetrix potest illam, & illum in uterum trudere; imo maximè conducit

ad partum, ut manus in uterum iterum trudatur, ùt legenti Mauriceau, Mercurium, & alios Chirurgos tradentes modum facilitandi partum fiet manifestum. Quinimo Obstetrices hoc passim observant. Ita etiam, si fiat incisio cæsarea mortuæ matris, vel vivæ, egressum caput posset iterum in uterum retrudi. Imo Ludovicus Bonaccioli de morb. mulier. lib. 1. c. 5. longè post med. refert ex nonnullis authoribus editum infantem *protinus in uterum reversum*. In his casibus puer habet duplicem, & posset etiam habere triplicem *nativitatem* extra uterum sufficientem ad baptisma; ergo, si talis nativitas per se requiritur ad baptismi Sacramentum, in his casibus baptisma esset tertia, quarta, &c. *nativitas*.

90. Quòd si dicant, Baptisma non habere per se illam multiplicem nativitatem, sed per accidens; Respondemus, etiam nos dicere, quamvis revera ante baptisma detur tum nativitas in utero, tum nativitas ex utero, tamen Sacramentum per se non exigere nisi nativitatem in utero; præcipuè cum assignemus rationem pro una, quod nequeunt Adversarii. Ratio est, quia ex Tridentino sess. 5. can. 4. Baptisma est lavacrum regenerationis, quo mundatur id, *quod generatione contrahimus*; per solam autem generationem in utero contrahimus id, quod est mundandum. Contra utraque nativitas ex utero est ejusdem rationis; ergo nequit assignari ratio, cur una requiratur, & non altera.

91. Probatur quartò. In textu Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, illud verbum, *Renatus*, rationem connexi non habet cum nativitate ex utero, ùt credunt Adversarii. Ergo ex nullo capite exigitur ad baptisma nativitas ex utero, quia textus allatus est unicum fundamentum, ex quo hanc doctrinam de necessitate nativitatis ex utero ad baptisma probant Adversarii. Antecedens patet, quia, si quis legat Evangelium, cognoscet quidem Nicodemum ita intellexisse textum illum, ùt faciunt Adversarii; hinc dicebat: quomodo potest homo nasci, cum sit senex. *Nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci?* At ex verbis Christi hoc nequit inferri. Subdit Christus: *Dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Quod natum est ex carne, caro est, *& quod natum est ex Spiritu, spiritus est*. Ecce clarè, illum, qui dicitur renasci ex Spiritu, dici etiam nasci. *Quod natum est ex Spiritu, spiritus est*. Ergo juxta Evangelium renativitas spiritualis, & nativitas spiritualis sunt unum, & idem. Cum ergo nativitas spiri-

ſpiritualis non exigat nativitatem ex utero, ùt patet in ſanctificatis in utero; nec etiam renativitas ſpiritualis baptiſmatis exiget nativitatem ex utero.

92. Hæc mea interpretatio habet fundamentum in Patribus; Tertullianus de baptiſ. c. 11. textum illum Joan. ſic legit: *Niſi natus ex aqua quis erit, non habet vitam*. Syriacus, D. Nyſſenus de Baptiſm. & Eutimius habent: *Niſi quis genitus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*. D. Anaſtaſius Sinaita examœron. lib. 5. Goffred. Abbas ſerm. de reſurrect. *niſi quis fuerit generatus ex aqua, & ſpiritu*. Theophilactus in Joan. c. 3. ſcribit: Quod ſi rogas, quomodo aqua poteſt *generare?* interrogabo & ego, *quomodo ſemen, & ipſum aquoſum exiſtens poteſt in hominem transformari?* Eandem doctrinam habet Rupertus Abbas lib. 3. in Joan. med. verſ. *quod enim agunt* pag. 246. colum. 1. Ecce per hos Patres baptiſma eſt generatio, & nativitas ſpiritualis. Ergo, licèt per D. Auguſtinum, & S. Iſidorum fieri debeat vis in ly *Renaſci*, ita ut Baptiſma ſit ſecunda Nativitas habens ante ſe Nativitatem primam; tamen per alios Patres non eſt facienda talis vis, ſed ly *Renaſci* debet accipi pro *Naſci*. Hæc veritas patet ex c. *debitum* de baptiſm. Ibi dicitur in baptiſmo celebrari illam *ſpiritualem generationem*, de qua Veritas ait; oportet *vos naſci denuo*, quia, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c.* Sicut ergo in carnali generatione, qua proles ex viro, & fœmina naſcitur, alius eſt, qui carnaliter gignit, & alius, qui carnaliter gignitur; & ſic eſt in *Sacramentali generatione*, qua ſoboles ex aqua, & Spiritu ſancto *renaſcitur*, alius debet eſſe, qui *ſpiritualiter generet*, & alius, qui *ſpiritualiter generetur*. Nil clarius ad propoſitum. Certè in hoc textu renativitas ſpiritualis accipitur pro nativitate, & generatione ſpirituali.

93. Probatur quintò. Infuſio Gratiæ ſanctificantis cum habitibus ſupernaturalibus virtutum, & Donorum non exigit Nativitatem ex utero, ùt patet in ſanctificatis in utero. Sed regeneratio Spiritualis non eſt niſi infuſio Gratiæ ſanctificantis cum habitibus ſupernaturalibus Virtutum, & Donorum; ergo regeneratio ſpiritualis non exigit nativitatem ex utero. Probatur minor ex D. Ambroſio relato, & approbato à D. Thom. 3. par. q. 68. art. 2. In libro de Obitu Valentin. paulò ante med. ſcribit Ambroſius de illo mortuo Catechumeno: *quem regeneraturus eram, amiſi; veruntamen ille gratiam, quam popoſcit, non amiſit*. Certè per hunc textum Valentinianus habuit *gratiam regenerationis*, & tamen certum eſt non habuiſſe niſi gratiam ſanctificantem cum habitibus Virtutum, & Donorum. Laudatur textus Ambroſii à

Glofs. in c. *Apoftolicam* de præsbyt. non baptiz. V. *Beati Ambrofii*. D. Thomas ad 1. exprefsè ait: qui defiderat per baptifmum regenerari ex aqua, & Spiritu fancto *corde regeneratus eft, licèt non corpore*. Ecce ante baptifmum habetur regeneratio fpiritualis, & tunc quid habetur præter gratiam fanctificantem, virtutes, & dona? Baptifma quidem etiam cum productione characteris connectitur, quem Adverfarij poffent dicere, fed abfque fundamento, exigere nativitatem extra uterum; fed nullo modo affirmare queunt Regenerationem fpiritualem conjungi cum productione characteris, quia D. Ambrofius, D. Thomas, & Gloffa clarè narrant Valentinianum accepiffe gratiam Regenerationis; & tamen obiit fine charactere baptifmi.

94. Confirmatur ex Tridentino fefs. 5. can. 5. dicente: *In renatis nihil odit Deus*, quia nihil eft damnationis iis, qui verè confepulti funt cum Chrifto per Baptifma in mortem, qui non fecundùm carnem ambulant, *fed veterem hominem exuentes, & novum, qui fecundùm Deum creatus eft, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti funt*, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chrifti, ita ut nihil prorfus eos ab ingreffu Cœli remoretur. Ecce renativitas Spiritualis confiftit in productione gratiæ fanctificantis, quæ deinde expellit peccatum, & veterem hominem, &c. & fefs. 6. c. 3. habetur: *Nifi in Chrifto renafcerentur, nunquam juftificarentur*, cum *ea renafcentia per meritum paffionis ejus Gratia, qua jufti fiant, illis tribuatur*. Pro hoc Beneficio (renafcendi) Apoftolus gratias nos femper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem fortis Sanctorum in lumine, & eripuit de poteftate tenebrarum, tranftulitque in Regnum filii dilectionis, in quo habemus redemptionem, & remiffionem peccatorum. Ecce clarè *renativitatem Spiritualem* inferre *productionem gratiæ fanctificantis*, qua *jufti reddimur*, *quæ nos redimit à poteftate tenebrarum*, *remittit peccata*, *& transfert in Regnum Filii dilectionis*.

95. In c. 4. profequitur Tridentinum. Quibus verbis (fcilicet illis: *qui nos dignos fecit*, &c.) juftificationis impii defcriptio infinuatur, *ut fit tranflatio ab illo ftatu, in quo homo nafcitur filius primi Adæ in ftatum Gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per fecundum Adam Jefum Chriftum, Salvatorem noftrum*, quæ quidem tranflatio poft Evangelium promulgatum fine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteft, ficut fcriptum eft: *Nifi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu fancto, non poteft introire in regnum Dei*. Ecce hæc verba, fcilicet *nifi quis renatus fuerit, &c.* fignificant & tranflationem à ftatu, in quo nafcimur, ad

ad statum gratiæ, & filiorum Dei, & necessitatem habendi hanc translationem per aquam, & Spiritum sanctum; & sic per Sacramentum. Ex his manifestè patet significatum illorum Verborum: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* nullam habere connexionem cum nativitate extra uterum, quia hujusmodi translatio haberi potest in puero intra uterum, ùt liquet iu sanctificatis in utero.

96. Nec valet, si dicas, per Tridentinum statum, à quo fit translatio, esse illum, in quo *Nascimur*; verbum autem, *Nascimur*, significat nativitatem extra uterum; nam sanctificatus in utero nasceretur sanctus, & tamen debet baptizari, nec transferretur à statu, in quo nascitur extra uterum, sed in quo nascitur in utero. Ergo in textu Tridentini illud verbum, *Nascimur*, vel debet intelligi de nativitate in utero, vel de eo, quod fit in casibus consuetis, & extra necessitatem.

97. Si vera esset illa opinio, hominem à Deo creatum, ac propterea non descendentem ab Adam per naturalem generationem, posse baptizari; tunc evidens esset mea conclusio; nam hic homo non esset genitus, & natus, sed creatus; & tamen in hac opinione renasceretur, & regeneraretur per baptisma. Ergo renativitas, seu regeneratio spiritualis in hoc casu non connectitur cum generatione, & nativitate extra uterum, sed cum creatione. Ergo renativitas spiritualis necessariò non exigit nativitatem ex utero. Dixi: *si est vera illa opinio*, quia capere non possum, baptisma institutum ad delendum peccatum haberi posse in eo, qui nec peccator fuit, nec debitum ullum peccati habuit. Hinc ille homo à Deo creatus spectaret ad aliam providentiam.

98. Dices: in baptismo renascimur, ùt fides docet; Renasci autem ex vi verborum novam Nativitatem significat; ergo ante baptismum debet existere nativitas, & quidem nativitas extra uterum, quia Vulgus nomine Nativitatis intelligit nativitatem ex utero.

Ob hoc argumentum credo verificari de Adversariis illud dictum: *dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur*. c. 6. c. 8. c. 15. de verb. signif. Ipsi verbum *Renasci* attendunt, quod in naturalibus ingerit speciem de priori nativitate; at non animadvertunt, applicari ad objectum supernaturale, quod non habet connexionem cum modo producendi, sed cum subjecto producto. Significatum à Renativitate Spirituali, ùt ex num. 93. patet, est gratia sanctificans cum habitibus supernaturalibus, Hæc res, ut existat, exigit solùm subjectum Rationale,

nale, quod sive sit natum in utero solùm, sive etiam extra uterum, sive sit creatum, sive eductum, sive sit homo, sive sit Angelus, semper æquè est subjectum capax hujusce rei, hujusce regenerationis spiritualis, hujusce gratiæ sanctificantis, & suorum habituum. Quia verò in rebus theologicis non est considerandum verbum, sed significatum; nam verba adaptanda sunt intentioni, non contra c. *humana aures* 22. q. 3. ideo, si in nostro casu significatum per verbum, *Renascimur*, non connectitur cum nativitate extra uterum, debemus decidere quæstionem juxta naturam significati; quicquid sit de materialitate verbi.

99. Respondetur secundò. Renativitatem Spiritualem connecti cum nativitate in utero, non verò cum nativitate extra uterum, quia, cum nativitas Spiritualis sit quoddam accidens, exigit necessariò productionem subjecti; & cum sit regeneratio ad vitam supernaturalem, exigit subjectum rationale; hoc autem producitur sola nativitate in utero ex dictis, non ex utero, quia hæc nativitas solùm transfert de loco ad locum subjectum rationale; ac proinde nulla apparet connexio inter Renativitatem spiritualem, & nativitatem ex utero. Infra num. 125. & 126. ex Tridentino, & Patribus apparebit, quàm verè dicam Renativitatem Spiritualem cum Nativitate in utero connecti; & num. 161. patebit hoc argumentum, quod tanti fit ab Adversariis, parvi momenti existimatum fuisse expressè ab Angelico Præceptore, & ex hoc etiam deducitur, quia, licèt in libris Sententiarum, & in Summa ex professo in tribus locis, & obiter aliis vicibus, quæstionem hanc fecerit; nunquam usus est hoc argumento, nisi in argumento *sed contra*, in quo loco poni solent argumenta etiam inefficacia, & solùm dubitandi causa.



CA-

CAPUT VIII.

D. Augustinus in præsenti materia opinionem tradit, non assertionem; hinc Rationes urgentes afferuntur, quibus opinionem benignam sequi licet.

100. PAter Dominicus Viva laudata par. 3. Theol. disp. 1. de grat. auxil. q. 7. num. 7. existimat D. Augustinum in allatis textibus num. 16. & 17. nobis non opponi, sed illos explicandos esse de pueris in utero omnino clauso existentibus. Laudo interpretationem, & subtilissimi Viri ingenium admiror.

101. Si cui tamen hæc explanatio non arrideret, aliam subdo; & observo diverso modo S. D. Doctrinam de non iterando baptismo tradidisse, ac præsentem propositionem de non baptizandis pueris in utero existentibus. De illa veluti de certa Patrum traditione loquitur. Istam uti rem ambiguam argumentis probare studet. Porro hujusmodi rationes esse solubiles patet ex cap. antec. & infra meliùs demonstrabitur. Ergo in materia nostra D. Augustinus meram opinionem docet, non certam sententiam.

102. His positis dico. D. Augustini opinionem in rarissimo casu, urgentibus rationibus, deserere licet, præsertim ut sequamur opinionem Animarum saluti magis faventem, & in majorem Christi gloriam redundantem; nunquam tamen ab Augustino, & aliis Ecclesiæ Doctoribus in *Assertionibus* recedere fas est. Hanc Doctrinam à D. Bonaventura in 1. dist. 15. dub. 3. expos. litt. deduco. En textum: Catholici Tractatores (Sancti Patres) *aliquid dicunt assertivè, & aliquid dicunt opinando;* quod *assertivè* dicunt, in hoc non discordant, quia, quod *asserunt*, per revelationem Sancti Spiritus dicunt, qui non est sibi contrarius; *in eo verò, in quo opinantur, dissentire possunt, quia opinio aliquando venit ex probabili conjectura rationis, in qua homo frequenter decipitur deceptione potiùs, quæ est pœna, quàm culpa.* Hactenus Seraphicus Doctor.

103. Ecce

103. Ecce Patrum *assertiones* à Spiritu Sancto sunt; ac proinde ipsis resistere non possumus, ne cum Judæis exprobetur nobis illud Act. 7. 51. *Vos semper &c.* Ecce Patrum opiniones à Spiritu Sancto non procedunt, sed ex probabili conjectura; ac propterea, cum à principio incerto proveniant, ab ipsis absque errore cum assignatis conditionibus recedere licebit.

104. Sic etiam Ægidius in 2. dist. 8. q. 1. art. 1. ad 1. art. 2. q. 2. art. 2. ad 1. & dub. 2. litter. recedit à quibusdam opinionibus, quæ videbantur esse D. Augustini, & hujusce recessionis assignans rationem scribit: Augustinus ùt plurimùm de Angelis non loquitur *asserendo, sed opiniones recitando, vel dubitando, & modos ponendi assignando*. Ita Ægidius, quæ apertè mihi favere inficiabitur nemo. Propter hæc etiam in prima Opusculi editione num. 100. dixi *licere D. Augustini opinionem deserere*. Consultò illud verbum, *opinionem*, posui, quia allatæ ex D. Bonav. Doctrinæ memineram.

105. Nunc refero rationes urgentes, quibus licet in nostro casu, salva omnino Maximi Doctoris D. Augustini reverentia, opinionem benignam sequi. Primò, quando Patres unanimi consensu in explicatione alicujus Scripturæ conveniunt, tunc rem certã constituunt ex Trident. sess. 4. de edit. & usu sacror. libr. ergo interpretatio unius, vel alterius Patris solùm est probabilis, non certa. Hinc D. Thomas par. 1. q. 1. art. 8. ad 2. scripsit authoritates Doctorum Ecclesiæ præbere argumenta propria quidem Theologiæ, sed *probabiliter*. Nota, dixit *Probabiliter*. Ergo certitudinem non afferunt.

106. Secundò. D. Thomas lib. 4. contra Gent. c. 24. num. 5. scribit. Habetur in determinationibus quinti Concilii c. 16. sequimur *per omnia* Sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ Athanasium, Hilarium, &c. Ambrosium, *Augustinum*, &c. *& suscipimus omnia, quæ de recta fide, & damnatione Hæreticorum exposuerunt*. Ecce materia, in qua cogimur sequi Sanctos Patres per omnia. Certè nostra quæstio in hujusmodi materia non continetur.

107. Tertiò. Approbatur doctrina D. Augustini, & ab Ecclesia recipitur in c. *Sancta* 15. dist. Sed hæc approbatio solùm infert juxta Turrecrematam in hunc Canonem q. 3. fin. *Probabilitatem Veritatis*, (Nota gloriosam Probabilitatem,) & hoc puto evidenter erui ex ipso textu; namque in ipso recipiuntur Opuscula D. Cypriani, & D. Hieronymi; & tamen ille iterationem Baptismi admisit, & iste de aliquibus minùs probabiliter loquutus est. Præterea Epistola Leonis Papæ ad Flavianum Episcopum

Con-

Constantinopolitanum recipitur ab illo Canone in omnibus usque *ad ultimum Jota*. Sic etiam ibidem Ecclesia specialiter fatetur se sentire de libertate humana, quod Beatus Hieronymus docuit contra Rufinum: Contra Opuscula alia Patrum simpliciter recipiuntur ab Ecclesia. Ex hac diversa approbatione infero cum Suario de leg. lib. 4. c. 5. Epistolam illam, & illam Hieronymi Doctrinam esse in omnibus certas; Opuscula verò alia Patrum habere authoritatem gravissimam humanam. Hinc Glossa V. *in istis* apertè erravit, dum illam approbationem specialem Epistolæ Leonis de omnibus Patrum Libris intelligi voluit, quod patet esse falsum legenti textum, & quia impossibile est, taliter approbari, cum nonnulla detecta sint falsa, & nonnulla inter se opposita contineant.

108. Scio Doctrinam D. Augustini specialiter approbatam fuisse à plurimis Summis Pontificibus, quas approbationes colligit Cardinalis de Noris in Vindiciis August. c. 6. & 7. Sed ex illis colligi nequit, nos quascunque propositiones, nulla excepta, sequi teneri; aliter, etiam dum opponitur aliis Patribus, ùt facit in quæstione, an Mundus sit creatus simul, an successivè, ipsum amplecti cogeremur. In materia de Gratia, & Prædestinatione præcipuè est approbatus, ùt omnes fatentur.

109. Quartò. Subtilissimus Doctor in 3. dist. 3. q. 1. fatetur communi consensu Sacræ Theologiæ magistros docere B. V. originali culpa maculatam fuisse. Pro hac opinione attulerat textus Scripturæ, & Patrum cum suis rationibus. Postea in argumento *sed contra* ponit duas authoritates Patrum, quæ oppositæ piæ opinioni favere videntur; mox subdit plures rationes naturales, & duos textus Aristotelis. Inter textus Patrum oppositos puritati Conceptionis aderat authoritas clarissima D. Bernardi fundata in quadam ratione; Scotus respondet quidem huic rationi, & demonstrat non concludere, quoad tamen authoritatem D. Bernardi silentio præterit. Nos ergo ad normam Subtilium Principis rationibus D. Augustini respondere conabimur deferendo in hac quæstione cum debita reverentia ejus opinionem.

110. Quintò. Idem Scotus dimisit authoritatem D. Bernardi, ut sequeretur opinionem, quæ magis redundaret in Excellentiam Beatæ Virginis: *Videtur probabile, quod excellentius est, attribuere Mariæ*. Ergo multò magis possumus dimittere authoritatem alicujus Patris, ut amplectamur Sententiam, quæ magis redundet in Excellentiam Christi, in misericordiam Dei, in honorem Sacramentorum, & in salutem Animarum, ùt est nostra benigna opinio; præsertim cum videatur esse consonam

textui

textui in c. *majores* de baptis. §. *Cautè autem*. Hìc dicitur: Absit enim, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & *ipsis misericors Deus*, qui neminem vult perire, *aliquod remedium procuraverit ad salutem*. Ergo inter duas opiniones eam sequi debemus, quæ Dei misericordiæ, & Parvulorum saluti magis favet; cum potissimùm etiam in utero pereant illorum non pauci. Vide infra num. 144. Tum quia est verissima illa doctrina Scoti in 3. dist. 12. q. 1. H. in commendando Christum, si incidendum est in alterutrum, melius esse excedere, quàm deficere in laude debita; hinc Theologi pro regula statuunt omnia esse concedenda, quæ redundant in ejus dignitatem, nisi manifestè repugnent.

111. Sextò. In hac quæstione habemus speciale argumentum deferendi D. Augustini opinionem. Cardinalis de Noris in Vindic. D. August. c. 3. §. 5. totus est, ut demonstret D. Augustinum docuisse parvulos sine baptismo decedentes igne Inferni cremari, & hanc opinionem nullam mereri censuram. Addit Gregorium Ariminensem sequutum eandem ab Adversariis appellatum fuisse *Tortorem puerorum*. Adhuc tamen Cardinalis Bellarminus ex mandato Clementis VIII. componens parvam Catechesim Christianam, qua pueri edocerentur mysteria, & veritates Christianas in §. *de peccatis* tradit *morientes cum Originali descendere in Limbum, cum mortali verò in Infernum*. Ecce Christifideles docentur opinionem oppositam D. Augustini opinioni, quando agitur de exhibenda misericordia parvulis. Ergo à fortiori etiam nos ad sublevandos parvulos in nostro casu, dimissa cum reverentia opinione D. Augustini, possumus sequi opinionem ipsis faventem.

112. Hìc nota malè Doctores tenentes pueros igne cruciari vocari *Tortores puerorum*, nam ex eo, quòd illi tueantur opinionem rigidam, non ob id isti torqnentur: infantes enim non cruciantur ab hominum opinionibus; quinimo illi Doctores per accidens iisdem misericordiam pueris conciliant, quia Fideles, etiam fœminæ, audientes illos in igne fore damnandos, si sine Sacramento decedant, majori diligentia, & totis viribus curant, ut baptizentur, quia bene percipiunt, quanta pœna sit ignis; at difficilè capiunt esse tantam pœnam carentiam Visionis beatificæ, & hinc aliquando ex negligentia illos sine baptismo mori sinunt, ùt scio propter hoc aliquoties factum fuisse. Contra in nostro casu tenendo opinionem Antiquorum negantem illis baptismum, voluntariè ipsos non baptizant, & quia non baptizantur, in æternum pereunt, ùt Fides docet; tenendo verò nostram opinio-

opinionem, & illos baptizando, si vera est opinio, eosdem evehimus in Cœlum.

113. Hinc patet nos esse in casu simili c. *significasti* el. 2. de homic. in quo Pontifex declarat esse sequendam unam præ alia opinionem, quia nempe in illa nullum periculum salutis Animæ imminebat, in hac verò multum. Cum ergo in opinione D. Augustini possit esse periculum salutis puerorum; sequendo verò nostram nullum hujusmodi periculum impendeat, ùt patet; imo Salus æterna affulgeat, debemus, dimissà cum reverentia D. Augustini opinione, nostram sententiam amplecti.

114. Quòd si dicatur in illo Capitulo sermonem esse de periculo peccati, & in nostro de periculo pœnæ. Contra, nam etiam in nostro casu adest periculum peccati, quia, si Sacramentum est validum, ob necessitatem fit licitum; atque adeo etiam tenemur illud ministrare; quòd si dicant sequendo nostram opinionem incidimus in periculum invaliditatis Sacramenti; respondetur Sacramenta esse propter homines, non contra; ergo potiùs est pensandum periculum erga hominem, quàm erga Sacramenta. Tum quia sequendo Adversarios in duo mala incurrimus, & Deum offendimus, & proximum, & sequendo nostram opinionem solùm Deum offenderemus: (quod tamen non est verum) ideoque nostram amplecti debemus juxta normam ratiocinandi ex c. *de homine* de celebr. missar.

115. Septimò. Juxtà D. Thomam in 2. dist. 3. art. 3. ad 1. D. Augustinus in Philosophicis non habet supremam authoritatem; hinc Doctor Angelicus ibidem ab ipso diffidet in re philosophica; & revera sequutus est opinionem falsam in talibus negando Antipodas lib. 15. de Civit. Dei c. 9. etiam rejiciendo oppositam ùt errorem, & Cardinalis de Noris non negat Sanctum Doctorem docuisse hanc opinionem, sed solùm demonstrat fuisse à validissimis rationibus ad illam tradendam adductum, & per hoc salvat ejus authoritatem. Ita etiam nos dicimus, quia per experientiam patefactum est dari Antipodas, licet ab opinione Augustini recedere, & salvamus ejus authoritatem juxta Cardinalem de Noris fatendo tradidisse suam Doctrinam adductum à validissimis rationibus. Ergo à pari, quia patefactum est pueros nostros posse ablui, ac propterea ipsos habere omnia, per quæ juxta Concilia perficitur Sacramentum; sic possumus deferere opinionem Augustini, qui non agnovit hujusmodi ablutionem; salvabimus autem ejus authoritatem fatendo fuisse innixum validissimis rationibus ad astruendam illam opinionem.

116. Præterea nostra quæstio est quidem de objecto supernaturali;

tali; tamen suam conclusionem S. D. probat solis fundamentis naturalibus. Ejus rationes sunt. Nemo renascitur, nisi sit natus. Si computaretur nativitas in utero ad baptismum, infans egressus ex utero diceretur renatus, & baptismus esset tertia nativitas, & ipse, dum baptizaretur, renasceretur, antequam nasceretur. Ecce rationes fundatæ in rerum naturis, non in principiis supernaturalibus ex authoritate Scripturæ, Traditionis, Conciliorum, &c. Ergo sumus in casu juxta D. Thomam, in quo D. Augustinus non habet supremam authoritatem; ac proinde ab ejus opinione recedere possumus. Hic nota D. Augustinum afferre pro se textum illum Joannis *nisi quis renatus fuerit, &c.* at, ut probet rectè allegari, probat per illas rationes rerum naturis innixas.

117. Ex his patet authoritatem D. Augustini contineri intra limites Probabilitatis, exceptis quibusdam, in quibus certitudinem attingit. Hinc sequitur nos in rarissimo casu materiæ probabilis, positis assignatis conditionibus, posse oppositum sentire, quia juxta Parisiensem tract. de Fide c. 1. Nider in consolat. timor. conscien. par. 3. c. 19. & Rodon. in glossa Raym. lib. 4. tit. *qualiter accusatio sit facienda* §. 2. V. *inquisitioni* possumus cuicunq; Probabilitati contradicere. Præterea Abulen. in Defens. part. 2. c. 18. discedit ab Augustino in quæstione de die mortis Christi, & Petrus de Comitibus Augustinianæ Familiæ Author in disp. metaphis. Theologicè exagitatis lib. 2. art. 5. per totum, sed præsertim Concl. 4. scribit licere privatis Doctoribus aliquando recedere ab authoritate alicujus Doctoris Ecclesiæ, quando illi suppetit urgens ratio in contrarium, & non sit sermo de rebus suprà exceptis, ùt non est nostra quæstio. Quinimo Joan. Major in 4. dist. 4. q. 1. concl. 2. voluit, nos posse etiam opinioni adversari, quam Papa in Concilio Generali ut probabiliorem decreverat, quod fortè etiam tenuit Ocham in 4. q. 3. litt. R. An hoc sit verum, expendent Probabilioristæ.

118. Denique ipse D. Augustinus relatus in c. *noli.* c. *negare*: c. *ego solis.* c. *neque quorumlibet* 9. dist. non vult, ut acquiescamus iis, quæ scribit, quia ita ipse dicat, sed quia per illos authores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere poterit c. *ego solis*, & possumus, salva reverentia, aliter sentire, quàm ipse senserit, si invenerimus Divino adjutorio, secus docuisse, ac veritas patiatur c. *neque quorumlibet*. Sed sententia opposita D. Augustini opinioni in hac materia videtur probabilior ex dictis, & dicendis. Ergo ex venia ipsius S. Doctoris licet opinionem oppositam eidem August. in hac quæstione defendere.

CAPUT IX.

Infans in utero licitè baptizatur in necessitate.

119. Dico primò ad validitatem baptismi non requiri, infantem aliquo modo extra vel cavitatem uteri, vel vaginam esse; hinc, si quis per vim tempore ante partum tentaret aperire uterum, ùt scio factum fuisse, & revera aperiret, & manu immissa solveret membranas amicientes puerulum, & aquâ illum ablueret, esset baptizatus; vel si non posset solvere membranas, ablueret puerum sub illis membranis inclusum, esset quoque baptizatus juxta opinionem illam relatam num. 65. Prima pars Conclusionis patebit ex sequenti.

120. Dico secundò instante quolibet partu posse validè baptizari puerum totaliter in utero positum, & in necessitate, quando scilicet non speramus fore, ut vivus egrediatur, *etiam licitè*, nam, quod *non est licitum in lege, necessitas facit licitum*, ùt alibi dixi, & patet manifestè ex c. *quod non est* de reg. jur. cum aliis Coucord. in Glos. V. *necessitas*.

Prima pars conclusionis, in qua præsentis dissertationis summa consistit, plurimis rationibus probatur, & primò in c. *firmiter* de sum. trinit. & Clem. eod. §. *ad hoc* deciditur Baptisma, quod ad Dei invocationem, & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus Sancti consecratur in aqua, tam *Parvulis*, quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocunque rite collatum proficere ad salutem; & in Tridentino sess. 5. decr. de orig. pecc. can. 3. ùt de fide statuitur peccatū originale non tolli, nisi per meritum Christi, & hoc meritum applicari tam adultis, quàm *Parvulis* per Baptismum in forma Ecclesiæ rite collatum, quia non est aliud nomen sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, unde illa vox: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi*; & illa: *quicumque baptizati estis, Christum induistis*. Duplex nunc formo argumentum. Tam adulti, quam *Parvuli* sunt capaces baptismi; sed infantes in utero sunt Parvuli; ergo sunt capaces baptismi. Minor probatur Genesi c. 25. dicitur de Rebecca habente gemellos in utero: Collidebantur in utero ejus *Parvuli*; & in c. *firmissimè* §. 2. de consecr. dist. 4. expressè dicitur homines ratione utentes, & *Parvulos*, qui sive

in utero incipiunt, sive cum de matribus nati, &c. nec dicas Tridentinum, Clementinam, &c. intelligere pro *Parvulis* pueros extra uterum; nam sine ulla ratione contrahitur decisio universalis. Tum quia Tridentinum in can. sequenti volens coarctare doctrinam ad Parvulos extra uterum expresse hoc habet dicens: si quis *Parvulos recentes ab uteris matrum* baptizandos negat, &c. ergo in Canone antecedenti, dum loquitur absolutè de *Parvulis*, explicari debet de omnibus, etiam in utero clausis, maximè cum illa verba Evangelii: *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata Mundi*, quæ moverunt Concilium ad condendum Canonem, aptari possint ad Parvulos, etiam in utero existentes, quia illæ voces: *Peccata Mundi* sunt adeo uniuersales, ut hosce infantulos comprehendant.

121. Secundum argumentum, quod eruitur ex illa decisione; est: Baptisma collatum in forma Ecclesiæ prodest; sed infantes in utero sunt capaces Sacramenti collati in forma Ecclesiæ; Ergo baptisma debet prodesse hisce infantibus. Minor probatur. Baptisma in forma Ecclesiæ implicat ex c. *non ut apponeres* de baptis. & d. c. *firmiter* Verbum, & Elementum. Verbum sunt illæ voces: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* ex c. *si quis* eod. Elementum est aqua ex d. c. *non ut apponeres*, & tanquam de fide definitum est à Trid. sess. 7. can. 2. de baptis. Requiritur prætere ad Sacramenti perfectionem intentio Ministri: quapropter Florentinum in Decreto Eugenii dicebat Sacramenta tribus perfici, *rebus, verbis, & intentione ministri*, & Tridentinum sess. 7. can. 11. determinat ùt de fide exigi ad Sacramenta intentionem faciendi saltem, *quod facit Ecclesia*. Sed infantes in utero sunt capaces horum omnium, quia possunt recipere aquam, & ab ipsa ablui, ùt manifestè contra Theologos antiquos probavi, dum verò abluuntur, possunt proferri verba, & minister potest habere intentionem debitam, ùt est evidens; ergo infantes in utero, quando instat partus, sunt capaces Sacramenti collati in forma Ecclesiæ.

122. Probatur secundò. Trident. sess. 5. decr. de orig. pecc. can. 4. sic inquit: si quis *parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat*, etiamsi fuerint à parentibus baptizatis orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam, unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Hæc est prima pars canonis. Assignant Concilium rationem decisionis prose-

prosequitur: *Quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus: per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt; nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit; propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam Parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, in remissionem peccatorum* veraciter baptizantur, *ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt; nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Hic Canon desumptus est syllabatim ex c. *placuit* 153. de Consecr. dist. 4.

123. Certum est primam partem loqui expressè de parvulis extra uterum, ùt patet ex illis verbis: *Parvulos recentes ab uteris matrum*. At certum pariter est *Parvulos* in utero habere peccatum, & hoc ab Adam contrahere; & sic verè posse remissionem peccatorum accipere, quæ sunt rationes, ob quas facit illam Decisionem Concilium. Cur ergo nos non trahemus consequentiam *ad Parvulos in Utero?* Quia parvuli ex utero habent originale verè baptizari possunt. Parvuli in utero habent originale, quinimo illud habent, *quia nati sunt in utero*, quare verè baptizari non poterunt?

124. Sed clarissimè de nostris parvulis verificantur alia, quæ in secunda parte Canonis subjunguntur. Certè includuntur in verbis Apostolicis, quia & mors, & peccatum pertransierunt in nostros infantes ratione Adæ ex Tridentino sess. 6. c. 3. Certè sunt *Parvuli*, & in hoc loco Canon non addit particulam restringentem ad Parvulos *Recentes ab uteris*. Certè & ipsi possunt habere finem veri baptismi, nam infantes baptizantur in hunc finem, *ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt*. Cum ergo pueri in utero *generatione contraxerint id*, quod regeneratione mundandum est, sequitur, si baptizentur, obtinere finem veri baptismi, sicut obtinent Parvuli extra uterum. Ergo, sicut hi baptizari possunt, poterunt & illi.

125. Verùm ulteriùs observandum est ultima verba Canonis, in quibus expressè, & apertè determinatur per Regenerationem mundari id, quod Generatione contrahimus, & hanc veritatem comprobari per textum Joannis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* Duo ex hoc sunt manifesta. Primum, Regenerationem Baptismi referri ad Generationem, *per quam contrahimus id, quod est mundandum*. Secundum, hanc veritatem significari ab illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex*

aqua, & Spiritu Sancto, &c. Addo ego, sed sola Generatio in utero, sed *sola Nativitas in utero*, non extra uterum, est Generatio, *per quam contrahimus id, quod est mundandum*; hinc infans moriens in utero sine baptismo certissimè damnatur ex *c. firmissimè* de consecr. dist. 4. & est de fide; Ergo Regeneratio Baptismi connectitur cum regeneratione, & nativitate in utero, & hæc connexio significatur per illa verba: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Ergo, quando Adversarii credunt illa verba: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* significare renativitatem spiritualem connecti cum nativitate ex utero, apertè sentiunt contra hunc textum Tridentini. Ex hac doctrina evidenter diluitur argumentum Adversariorum unicum, cui hisce temporibus fidere posse videbantur, nimirum regenerationem spiritualem necessariò habere ante se nativitatem ex utero. Vide num. 138.

126. Hæc veritas, *per Regenerationem mundari id*, quod Generatione *contrahimus*, habetur etiam in Patribus. Innocentius Primus in Decreto, quo Pelagium, & Cœlestium damnavit, determinavit: Ut parvuli, etiam ex Christiana muliere nati, per baptismum renasci deberent, *ut in eis Regeneratione mundetur, quod Generatione contraxerunt*. D. Augustinus in Enchirid. c. 52. & refertur c. *ut ostenderet* de consecr. dist. 4. scribit. *Cui autem peccato Parvuli renascendo moriuntur, nisi quod nascendo traxerunt?* Eandem veritatem habet c. 64. post init. & lib. 1. Retract. c. 7. Epist. 157. lib. 3. de peccator. merit. c. 5. lib. 1. Contra Pelag. c. 2. & 3. & sermon. 14. de verb. Apost. c. 20. & pro se affert D. Cyprianum Epist. 59. Vide num. 159. D. etiam Thomas par. 3. q. 68. art. 9. ait. *Ipse autem Dominus dicit Joan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c. unde necessarium fuit pueros baptizari, ut, sicut per Adam damnationem incurrerunt* Nascendo, *ita per Christum salutem consequantur* Renascendo. *Fuit etiam conveniens, &c.* Cum hæc doctrina ad verbum reperiatur in Patribus, & sit edita in Canone Fidei, in quo, ut certi simus, quid sit credendum, Ecclesia loqui debet in proprietate sermonis, hic textus Tridentini facit rem certam, nec licet interpretari, ùt dicebat quidam Theologus, Concilium loqui ad uberiorem Doctrinam, & per modum majoris explicationis. Ergo negare non possunt Renativitatem baptismi referri ad nativitatem in utero. Ego etiam, atque etiam Lectores precor, ut hanc Tridentini decisionem sedulò meditentur, & spero ipsos nostram opinionem sequuturos.

127. Probatur tertiò. Baptismus vel consideratur in seipso, vel in suis effectibus. Quoad primum implicat materiam, formam, & in-

& intentionem. Quoad secundum, producit gratiam sanctificantem, & habitus supernaturales ex Clemen. de Sum. Trinit. & ex Triden. sess. 6. c. 7. Remittit omnia peccata, & omnem pœnam, aperit Cœlos ex c. *majores* de baptis. & Triden. sess. 5. decr. de orig. can. 5. denique imprimit characterem ex d. c. *majores*, & ex Tridentino sess. 7. de Sacram. in gen. can. 9. Sed infans in utero est capax horum omnium; Ergo est capax baptismi. Minor quoad primū patet ex dictis, & licèt prisci Theologi negaverit esse capaces ablutionis, tamen negari nequit instante partu infantem in utero ablui posse. Quoad secundam partem ex dictis certum est pueros in utero gratiam cum habitibus supernaturalibus recipere posse, quicquid in oppositum, etiam de pueris extra uterum, aliqui Antiqui in d. c. *majores*, & d. Clemen. asseruerint; Tum quia Omnes Theologi, & Canonistæ concedunt in præsenti quæstione posse per operationem Divinam sanctificari, ùt accidit D. Joanni Baptistæ, & Hieremiæ, & Beata Virgo non solùm fuit Sanctificata, sed etiam concepta in Sanctitate, prævenniente Gratia Divina, ùt ait Damascenus orat. de B. V. Nativit. & producente suum fructum, antequam natura suum germinaret; hæc autem Sanctificatio consistit in gratia Sanctificante cum habitibus supernaturalibus ex Tridentino sess. 6. c. 7. Tum quia subjectum capax unius, est capax alterius oppositi; cum ergo puer in utero sit filius iræ, & vindictæ, injustus, impurus, maculatus ex Tridentino sess. 6. c. 1. erit etiam capax oppositi; ideoque fieri filius misericordiæ, justus, purus, immaculatus, innocens, hæres Dei, & cohæres Christi. Qui autem habent gratiam sanctificantem, peccatum non habent, ùt fides docet ex Trident. sess. 6. c. 7. Ergo infantes in utero sunt capaces remissionis peccati originalis. Sunt tandem capaces characteris baptismalis, quia nulla de hac re assignari potest repugnantia. Tum quia effectus characteris est reddere subjectum fidele, & ipsum ab infideli distinguere; hunc autem effectum puer in utero recipere potest, quia Anima rationalis est capax per seipsam fidelitatis, & effectuum supernaturalium. Tum quia puer in utero est capax principalioris effectus, qui est infusio Gratiæ, & remissionis peccatorum; unde valet hìc illud Canonicum, *cui licet plus, licet & minus* c. *cui licet* de reg. jur. in 6.

128. Probatur quartò. Ad baptisma sufficit nativitas intra uterum. Hoc assertum probatur. Talis nativitas est vera nativitas; hinc de infante Jesu in utero Matt. 1. dicitur: *quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*; & D. Thomas par. 1. q. 27. art. 2. scribit: originem alicujus viventis à principio vitæ con-

juncto esse *propriè nativitatem*, & supra vidimus Nativitatem ex D. Thoma, & Alberto Magno dividi in nativitatem in utero, & ex utero, & supra num. 126. ex D. Innocentio, D. Augustino, & D. Thoma dicuntur parvuli contrahere *nascendo* peccatum; per solam autem nativitatem in utero peccatum contrahimus. Hinc per talem nativitatem contrahimus injustitiam, & originale peccatum, ùt expressè ait Tridentinum sess. 6. c. 3. Ergo, si infans in utero baptizaretur, esset renatus, quia post primam nativitatem novam nativitatem subiret, & evaderet purus, immaculatus, novus homo, &c. evaderet pariter justus, mundus, innocens, &c. quia injustus, immundus, nocens est capax justitiæ, munditiei, & innocentiæ. Ergo verè baptizaretur, quia ideo quis verè baptizatur ex Tridentino sess. 5. can. 4. & 5. quia suscipit illos effectus. Ergo nativitas in utero sufficit ad baptisma.

129. Confirmatur. Sordibus infectum potest lavari, & exigit lavacrum; sed infans in utero est sordibus spiritualibus infectus; Ergo potest lavari, & exigit lavacrum Spirituale; tale autem lavacrum est baptisma, cum sine lavacro regenerationis ex Tridentino sess. 6. c. 4. originale tolli nequeat. Major videtur nota ex seipsa, nam lavacri proprium est lavare, & sordes sint id, quod est lavandum, & mundandum; unde statim, ac nos aliqua sorde inquinamur, accipimus aquam, & ablutione sordes detergimus. Minor argumenti est de Fide ex dictis.

130. Dices. Infans, antequam aperiatur uterus, est sordibus infectus, & tamen nec etiam per nos baptizari potest.

Sed contra, quia infans in tali statu non est ratione sui, & necessariò, sed alius, & contigenter, incapax baptismi. In hoc sensu tempore D. Augustini Populi Antipodes baptizari nequibant; sicut enim baptizari nequit puer in tali statu, quia inter nos, & ipsum adest medium prohibens ablutionem, ita tempore illo inter nos, & illas Gentes interjacebat medium impediens ablutionem, & formam. Ex hoc dicebamus, si quis per violentiam aperiret uterum, & media extrinseca tolleret, infans baptizari posset: hinc Doctor Subtilis appositè omnino comparavit puerum in utero cum puero incluso in Corio, & dixit taliter clausum baptizandum fore, si aqua illum tangeret, secus, si non tangeret. Ergo infans in utero clauso non est intrinsecè incapax Sacramenti, sed extrinsecè; ergo ablato hoc extrinseco, clausura scilicet impediente, infans baptizari poterit; ita etiam baptizari posset, si quis per miraculum posset facere penetrationem aquæ cum utero.

131. Pro-

131. Probatur quintò: Valet argumentum à definitione ad definitum, quæ doctrina est vera Logicè, Physicè, Metaphysicè, & etiam Juridicè, quia bona definitio debet converti cum definito l. 1. ff. de dolo malo, Bertachinus, Tuscus V. *definitio* alios Jurisconsultos afferentes, Sed infans in utero est capax definitionis baptismi; Ergo & definiti; & sic baptismi. Minor probatur. Definitur baptismus à Magistro in 4. dist. 3. c. 1. *est Ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma verborum*. Hæc definitio est eadem cum illa D. Augustini tract. 15. in Joan. c. 4. *est intinctio in aqua verbo vitæ sanctificata*. Theologi hanc definitionem approbant in 4. dist. 3. ubi D. Thomas D. Bonav. Hervæus, Paludanus, & alii, quibus accedunt Summistæ Albericus, Hostien. in Summa, Pisanella, & ejus Supplementum, Rosella, allegans Directorium juris V. *Baptismus* num. 1. & ante omnes, D. Petrus Cœlestinus in Summa de bapt. c. 1. Concordant plurimi. Sed infans in utero potest suscipere hanc definitionem, quia ex dictis liquet posse physicè ab aqua ablui, & eodem tempore dici verba tum intentione debita. Ergo potest etiam suscipere definitum, scilicet baptismum.

132. Alensis par. 4. q. 8. membr. 1. D. Thomas ubi supra, & par. 3. q. 66. art. 1. Richar. dist. 3. art. 1. q. 3. D. Bonav. dist. 3. par. 1. art. 1. q. 1. referunt quatuor definitiones, quarum una est illa allata ex Magistro, alia ex Hugone lib. 2. par. 6. c. 2. quæ ita se habet: *Baptismus est aqua abluendis criminibus sanctificata*. Aliæ duæ sunt non de baptismo, sed de ejus effectu. Illa secunda definitio utique verificatur in nostro casu, quia infans tam est maculatus originali crimine in utero, ac extra uterum; imo plures sunt infecti in utero, ac extra; nam in utero, exceptis Christo, & ejus Virgine Matre, omnes fuerunt, sunt, & erunt maculati; at extra D. Joan. Baptista, & Hieremia maculati non fuerunt, & Doctores fatentur posse dari hujusmodi privilegium aliis. Ergo aqua debet esse Sanctificata tam pro abluendis criminibus pueri intra uterum, ac extra.

133. Scotus in 4. dist. 3. q. 1. dat duplicem definitionem, quarum prima est: Baptismus est ablutio hominis aliqualiter consentientis facta ab alio in aqua simul verba certa cum intentione debita proferente, significans efficaciter ex institutione Divina ablutionem Animæ à peccato. Rubion in 4. dist. 3. q. 1. art. 1. fin. Gabriel. dist. 3. fin. assentiuntur Doctori Subtili: Hanc quoque verificari de nostro infante negari nequit. Potest esse difficultas in illis verbis: *Significans efficaciter ex Divina institutione ablutionem Animæ à peccato*. Sed tollitur difficultas, nam illa

verba significant effectum Sacramenti; cum ergo de nostro infante verificentur priora, quæ denotant causam, verificantur quoque posteriora significantia effectum; siquidem posita causa ponitur effectus, quod axioma habet locum præsertim de causis necessariis, qualia sunt Sacramenta; hinc Concilium Tridentinum sessione septima de Sacramen. in genere can. 6. expressè taliter determinat: *Si quis dixerit Sacramenta nova legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre*, &c. *anathema sit*, & can. 7. *Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit*. Ut rite conferam baptisma, debeo abluere corpus infantis, proferre verba, & habere intentionem. Sed hæc omnia fiunt æquè bene infanti intra uterum, ac extra uterum; Ergo ille baptismus debet esse signum significans efficaciter ablutionem Animæ à peccato, ùt dicebat Doctor Subtilis.

134. Sexta probatio, quam fusissimè prosequor in meo Opere c. 41. à num. 49. desumitur ex eo, quòd licèt baptisma sæpe dicatur Renativitas, & per baptisma pueros renasci Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* tamen simul dicitur regeneratio, & in ipso hominem regenerari; hinc Paulus ad Tit. 3. dicebat: *secundùm magnam misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, & ad hoc fortè respexit D. Petrus 1. epist. c. 1. dum dixit: *regeneravit nos in spem vivam*. Ita etiam Patres communiter Dionysius de Eccles. Hierarch. c. 2. D. Justinus Apolog. 2. D. Irenæus lib. 3. c. 19. Tertull. de Resurrect. carnis c. 47. Origenes in Joan. tom. 8. in illum textum: *Ego quidem baptizo vos in aqua*, Athanasius in illa: *omnia mihi tradita sunt à Patre*. D. Epiphanius hæresi 28. D. Cyrillus Hierosol. Cathechesi 3. D. Chrysost. in Joan. hom. 23. D. Innocentius 1. in decr. contra Pelagium. D. Augustinus in plurimis locis, ùt legenti indicem suorum Operum V. *Regeneratio* patebit; D. Leo magnus epist. 37. c. 1. D. Cyril. Alexandr. in Joan. c. 3. *vers.* 3. 4. 5. D. Damascenus lib. 4. de fide ortodoxa c. *de fide*. Theophilac. in Joan. c. 3. ℣. *dicit ad eum Nicodemus*. Beda lib. 1. in Luc. c. 10. & in Joan. c. 3. D. Thomas 3. par. q. 62. art. 2. q. 65. art. 2. & contra Gent. lib. 4. c. 59. & alibi frequenter. Hoc etiam liquet in c. *qui in maternis*, & c. *si baptizata* de consecr. dist. 4. c. *debitum*; c. *majores* de baptism. c. *cum Martha* §. *quæsivisti* de celebr. missar. Concil. Florent. decr. Eugenii de baptis. Tridentin. sess. 5. can. 4. sess. 6. c. 4. In Canone quoque

Missæ

Missæ vers. *Hanc igitur oblationem* die Paschæ, & Pentecostes.
Certò ergo credentes baptisma regenerare

135. Nunc argumentum conficimus: Qui est genitus potest regenerari spiritualiter, sicut, qui natus est, potest renasci Spiritualiter. Sed infans in utero est genitus; Ergo potest regenerari Spiritualiter. Major videtur per se nota, quia post primam generationem potest sequi secunda. Tum quia regeneratio spiritualis non est nisi prima productio Gratiæ sanctificantis, per quam reddimur filii Dei, & Divinæ naturæ consortes; gratia autem habet pro suo subjecto creaturam rationalem, quæ, si est homo, producitur per generationem, si est Angelus, per creationem. Probatur verò minor nostri argumenti. Ex Aristot. 5. physic. c. 2. alia est generatio simpliciter, alia secundùm quid. Per primam producitur *ens* simpliciter, inquiunt Philosophi, scilicet substantia. Per secundam producitur tale *ens*; nempe accidens.

136. Generatio simpliciter sumitur vel propriè, & est generatio viventis, quæ per D. Thomam 1. par. q. 27. art. 2. definitur: est origo alicujus viventis à principio vitæ conjuncto, *& hac propriè*, inquit Angelicus, *est nativitas*. Vel sumitur propriissimè, quæ per D. Thomam ibidem *est origo viventis à principio vita conjuncto secundùm rationem similitudinis in natura ejusdem speciei*: Eandem doctrinam habet Scotus in 1. dist. 13. ad 1. & in 3. dist. 8. §. *ad tertium*. hinc Scotistæ apud Mastrium de Generat. disp. 8. q. 1. hanc propriissimam generationem definiunt esse productionem naturalem viventis à vivente similis producenti in natura. Rectè ponitur in definitione illud verbum, *Naturalis*, quia dicebat Aristoteles de Anim. lib. 2. c. 5. esse naturalissimum viventibus generare sibi simile ad conservandam speciem. Per hanc generationem res producta dicitur Filius.

137. Ex hac doctrina habeo infantem in utero esse genitum simpliciter, propriè, & propriissimè, & esse filium sui Patris, & Matris; dum verò egreditur ab utero, non generari nisi secundùm quid, quia non producitur substantia, aut vivens; & sic nec *ens* simpliciter, sed tale *ens*, quia datur solùm translatio hominis de uno ad alium locum.

138. Dices apud Philosophos, & Theologos hanc doctrinam esse veram, non verò apud Vulgus, quod pro generatione intelligit effusionem fœtus ex utero; Scriptura verò est intelligenda secundùm quod voces sonant apud Vulgus. Sic responsum fuisse scio in publica concertatione à quodam Sacræ Theologiæ Regēte,

Sed

Sed contra ex dictis num. 125. Tridentinum sess. 5. can. 4. explicat regenerationem spiritualem per respectū ad generationem, *qua contrahimus, quod est mundandum;* hæc autem generatio est sola generatio, qua producitur filius in utero. Tum quia sic Theologia, quæ explicat, & interpretatur Scripturam, ipsa sibi non sufficeret, quinimò malè illam interpretaretur. Præterea quo fundamento dicitur Scripturam esse explicandam, ùt verba sonant apud Vulgus, & regenerationem spiritualem appellari talem per respectum ad generationem sic dictam à Vulgo? Ideo habetur regeneratio spiritualis, ut mundetur id, quod generatione contrahimus ex Tridentino. Ergo Scriptura loquens de generatione spirituali non debet explicari per ordinē ad generationem, prout explicatur à Vulgo, quia per talem generationem aliquid non contrahimus, quod sit mundandum, ùt contrahimus per generationem in sensu Philosophico, & Theologico explicatam.

139. Probatur septimò. Beneficium Principis est latissimè exponendum c. *cum dilecti* de donat. c. *ex parte* el. 2. de decim. c. *quia circa* de privil. c. *olim* de verbor. signific. l. *beneficium* ff. de constit. principum. Verba legis: *Beneficium Imperatoris, quod à Divina scilicet ejus indulgentia proficiscitur, quàm plenissimè interpretari debemus.* Et adeo latè interpretari debemus, ut solùm recipiat limitationem, quando Beneficium redundaret in damnum alterius, ita ut multum ipsum læderet c. *Archidiaconum* 85. dist. fin. Glofs. fin. d. c. *olim*. Cum ergo baptisma sit beneficium ex Tridentino sess. 6. c. 3. & longè plures, & potiores favores nobis præstet, quàm præstiterit olim circumcisio c. *majores* de baptism. Ergo est latissimè explanandum, præsertim cum de ipso propriè verificentur verba d. legis; Propriissimè enim *à Divina Clementia Christi baptismi Beneficium promanavit.*

140. Lege num. 84. & ex dictis Evangeliorum ibi relatis videbis erui hanc formam ingentis beneficii Baptismi: *Omnis Gens est baptizanda, omnis creatura est baptizanda.* Porro sub nomine creaturæ juxta D. Gregor. homil. 29. in Evang. intelligitur homo. Omnis ergo homo est baptizandus; sed infans in utero est homo; Ergo infans in utero est baptizandus. Credo etiam sub nomine Gentis venire talem puerum, nam Gen. 25. de Rebecca habente in utero gemellos dicitur: Duæ Gentes sunt in utero tuo.

141. Confirmatur. Tridentinum sess. 5. can. 2. definit peccatum Adæ redundare & in ejus propagınem, & nos ex illo textu: *Per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per pecca-*

peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Ex regula ergo *quia omnes homines peccaverunt in Adam* eruitur, Nos, & pueros in utero existentes contraxisse peccatum originale. Ergo ex illa regula, quæ est æquè universalis, *omnis homo est baptizandus*, eruere debemus hanc veritatem, nimirum pueros in utero esse baptizandos, & hoc à fortiori, quia prima regula est odiosa, & odia sunt restringenda, & secunda regula est favor, & favores sunt ampliandi, & utrumque expresse deciditur in c. *odia* de reg. jur. in 6. Tum quia, quod nulli nocet, & alteri prodest, est facilè concedendum l. 38. *ff. de evict.* cùm ergo concedere baptisma hisce misellis tibi non noceat, & illis maximè prosit, facilè concedendum est; namque ex Epist. 37. c. 1. Leonis magni *in primis providere debemus, ne, dum speciem quandam Cautionis teneamus, damnum regenerandarum incidamus Animarum*.

142. Confirmatur secundò ex legibus. L. *qui in utero est*; l. *qui in utero sunt* ff. de stat. homin. expressè deciditur pueros in utero existentes censendos esse natos, quando agitur de ipsorum favore. Ergo etiam Ecclesia debet illos judicare esse natos, quando agitur de ipsorum favore; *sicut enim sacratissimæ leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita sacri Canones leges probant, & imitantur* c. *Clerici* de judic. c. 1. de juram. calumn. c. *intelleximus* de nov. oper. nuntiat: nisi tamen leges Canonibus contradicant Glossa d. c. *intelleximus*. V. *adjuvantur*; cum ergo in nostro casu agatur de maximo omnium favore, debemus censere illos pueros esse natos; ideoque illos baptizare. Tum quia *præcepta Divina benigniùs interpretanda sunt, quàm humana* ex Nider par. 3. timor. Conscien. c. 11. *quia Deus est Legislator benignior, quàm homines*. Ergo, si Leges humanæ habent pro Natis pueros in uteris existentes, cum agitur de ipsorum favore; multò magis interpretari debemus legem Divinam de Baptismo habere pro Natis nostros infantes, cum agatur de beneficio acquirendi Divinam hæreditatem.

143. Confirmatur tertiò: Privilegium Martirii prodest infantibus in utero existentibus; Ergo etiam privilegium Baptismi iisdem proderit. Antecedens approbatur à Scoto in 4. dist. 4. q. 3. Consequens ostenditur, quia baptismus aquæ est æquè universalis, ac sanguinis baptisma.

144. Probatur octavò ex titulo misericordiæ. In psal. 129. de Christo dicitur: *Copiosa apud eum redemptio*, & hæc redemptio non solùm debet esse copiosa, quia fuit infinita, sed debet esse copiosa, quia ad omnes, nullo excepto, redundaverit; hinc ad

Rom. 5. habetur: non ficut delictum, ita & donum, fi enim unius delicto multi mortui funt, *multò magis gratia, & donum unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*. Ecce gratia Christi in plures redundavit, quàm delictum Adæ. Ergo, cùm delictum Adæ in hosce pueros redundaverit, debet etiam ad ipsos redundare gratia, & donum Christi. Si Adam illos morte corporali, & spirituali occidit; Ergo etiam Christus pro illis instituit Sacramentum, quo possint vitam Spiritualem acquirere.

145. Nec dicas illos posse sanctificari in utero, ùt factum fuit de Joanne Baptista, & Jeremia, vel etiam posse salvari per martyrium.

Sed contra, nam illud de Sanctificatione fuit privilegium Specialissimum; *quod* autem *à jure exorbitat, non est trahendum in consequentiam* dicitur in c. *quæ à jure* de reg. jur. in 6. & aliis juribus allatis à glos. V. *quæ à jure*. Ex hac doctrina sequeretur de lege communi gratiam Christi in plures non redundasse, utique verò delictum. Ad illud de martyrio, vide num. 143.

Tum quia martyrio infans in utero, licèt non natus extra uterum, potest renasci spiritualiter. Ergo renativitas spiritualis necessariò ante se non habet nativitatem ex utero.

146. Confirmatur. In c. fin. de transac. Pontifex scribit: In his, in quibus jus non invenitur expressum, *procedas æquitate servata, semper in humaniorem partem declinando, secundùm quod personas, & causas, loca, & tempora videris postulare*; & in c. fin. de senten. excomm. deciditur propter defectum ætatis rigorem esse mansuetudine temperandum. Glossa in d. c. de transac. V. *in humaniorem* ait: Semper debemus promptiores esse ad absolvendum, quàm ad condemnandum ff. de act. & oblig. *Arrianus*, & ff. de pœnis *respiciendum*, & de probat. *ex litteris*, & 26. q. 7. *tempora pœnitudinis*, & promptiores ad misericordiam, quàm prætendere inclementiam 86. dist. *non satis*, & sententia, quæ misericordiam vetat, fugienda est 50. dist. *ponderet*, & 26. q. ult. *alligant*, ubi dicit, *quòd si Dominus est largus dispensator, ejus famulus non debet esse tenax*, & 9. dist. *sana*, & 1. q. 7. *exigunt*. Hactenus Glossa. In nostro casu non adest jus expressum vetans hisce infantulis baptismum. Ergo debemus in humaniorem partem declinare, & ipsos baptismo à pœna æterna, & à culpa absolvere ita postulante impotentia *Personæ* impotentis egredi ab utero. Debemus etiam esse promptiores ad misericordiam cum ipsis, quàm sinere, ut æternùm damnentur. Si Dominus fuit ita largus dispensator, ut instituerit Sacra-

mentum

mentum in materia ubique existente, ne aliàs aliquis periret, & aliàs aqua potest applicari hisce pueris; cur ejus famulus erit ita rigidus, tenax, immisericors, ut nolit ipsos aqua abluere? Hìc valet syllabatim d. c. *alligant* 26. q. ult. Eunuchus Reginæ Candacis Act. c. 8. videns aquam statim Philippo dixit *Ecce aqua, quid me prohibet baptizari?* Pueri quidem nostri non clamant, sed alii pro ipsis: *Ecce aqua, quid prohibet eos baptizari?* Antiqui quidem digni erant excusatione, si illos non baptizabant, quia bona fide credebant aquam non posse ad illos pertingere; at nos quam excusationem habebimus, dum nobis constat circa ipsos fieri omnia, quibus confertur baptisma? Antiqui Pontifices jure excusabantur, si ad Antipodas Episcopos, & Sacerdotes non dirigebant, quia scilicet D. Augustino, Lactantio, & aliis celeberrimis Doctoribus, & Naucleris asserentibus illas Regiones vel esse fabulosas, vel invias credebant. Verùm utique nunc non mererentur excusationem ullam, si operarios Evangelicos illuc non mitterent edocti à nostris Recentioribus esse terras existentes, ab hominibus cultas, & Atlanticum navibus edomari.

147. Confirmatur ex D. Thom. 2. 2. q. 30. art. 1. cum D. August. de Civit. Dei lib. 9. c. 5. Movens ad misericordiam est miseria, & eò miseria est major, quò difficiliùs expelli potest; Cum ergo nostri infantes, & dum sunt in utero, ac extra, antequam lumen rationis adipiscantur, propria virtute nequeant miseriam illam magnam peccati originalis depellere, Christus hoc omni tempore debuit illorum misereri, & nos debemus inter plures opiniones illam seligere, quæ est misericors erga ipsos, & eosdem baptizare.

148. Dices, majoris misericordiæ fuisset, si Christus instituisset Sacramentum in Sputo; & tamen hoc non fecit; hinc etiam in necessitate invalidè baptizatur in Sputo ex c. *non ut apponeres* de baptis. Sic etiam majoris misericordiæ fuisset, si Deus omnes prædestinasset ad gloriam; & tamen hoc non fecit juxta illud ad Rom. 9. *aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam*, & illud terribile *Multi sunt vocati, pauci vero electi*.

Sed contra, quia hæc objectio procedit ex ignorantia juris. Ex D. Thom. 2. 2. q. 67. art. 4. ad 1. misericordia habet locum in iis, quæ Judicis arbitrio relinquuntur, in quibus boni viri est, *ut sit diminutivus pœnarum*, ùt dicit Arist. 5. Æthic. c. 10. *in his autem, quæ determinata sunt secundùm legem divinam, vel humanam, non est suum misericordiam facere*. Ecce evidenter, in quibus adest determinatio legis, in iis nequit dari misericordia, sed sola justitia; in iis verò, quæ non sunt decisa, relinquitur

quitur locus misericordiæ, & Judex debet sequi partem benigniorem. Hæc doctrina est omnino ea, quæ habetur d. c. fin. de transact. Præterea q. 120. art, 1. ad 3. D. Thomas ait: interpretatio locum habet in dubiis, in quibus non licet absque determinatione Principis à verbis legis recedere; *sed in manifestis non est opus interpretatione, sed executione*. Hæc doctrina clarè statuitur l. *si quis* C. de liber. præter. & exhær. In casu de non baptizando cum Sputo est decisum in jure. Ergo non est locus misericordiæ, sed justitiæ. Non est res dubia, sed clara. Ergo non est opus interpretatione, *sed executione*. In casu de baptizando puero in utero non est decisum, sed dubium. Ergo est locus misericordiæ, non justitiæ. Est opus *interpretatione benigna*, non *executione severa*.

149. Idem dico ad exemplum de prædestinatione; est enim de fide aliquos esse destinatos ad gloriam, alios ad damnationem; Cum ergo hæc sit materia clara, & nostra, de qua est præsens difficultas, sit obscura, ab illa ad hanc ratiocinari non licet. Quæ conventio lucis ad tenebras, dicebat Apostolus? Quod dicitur de uno, dicitur quidem de alio simili c. *inter corporalia* de translat. Episc. c. *cum secundùm* de præben. c. *per venerabilem* qui filii sint leg. non verò de dissimili; imo oppositum est enuntiandum c. *qualis* 25. dist. c. *quanquam* de cens. in 6. & probat Barbosa de axiom. jur. 74. fin. ex l. *inter stipulationem*. §. *Sacram*. ff. de verb. oblig. Igitur secundùm Jurisconsultos ita argumentum efformari debet. In illis materiis claris misericordia non exhibetur. Ergo in nostro casu obscuro misericordia locum habet.

150. Hanc objectionem Adversarii sumpserunt à Probabilioristis. Hi Doctores afferunt contra Probabilitatem longissimam seriem textuum, præcipuè Sanctorum Patrum, & sibi adeo plaudunt, ut jam actum de Probabilitate confidant; & tamen, si rem sedulò pensitarent, eos præter rem afferri perspicerent. Rem exemplo declaro. Si unquam aliqua authoritas videtur manifestè Probabilitatem oppugnare, est illa, quæ habetur ex D. August. lib. 1. de bapt. contra Donat. c. 3. & 5. ubi scribit: *in materia spectante ad salutem Animæ non esse præponenda certis incerta*. Mirum est, quantum Adversarii sibi plaudant. Verùm asseveranter dico nihil prorsus probare; & extra propositum afferri. Sanctus Doctor loquitur in materia de recipiendo baptismate ab Hæreticis, ùt patet ex textu. Hæc materia semper fuit clara, & Joan. Epist. 2. clarè præcipit: *si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis; qui enim dicit illi* Ave, *communicat ejus operibus malignis*,

lignis, & D. Paulus ad Tit. cap. 3. Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem *devita, sciens quia subversus est*. Eadem veritas habetur clarè apud Patres c. *qua dignior*. c. *si quem* 24. q. 1. c. *quamvis* de consecr. dist. 4. imo Cyprianus cum 83. Episcopis, & plures Synodi Orientales apud Juenin par. 8. differ. 2. q. 5. c. 2. crediderant, baptismum ab Hæreticis datum non solùm esse illicitum, sed etiam invalidum. Nota, hanc doctrinam nunc esse hæresim. D. Thomas quodl. 3. art. 10. concinens nostræ veritati scripsit, non posse aliquem ab erroris vitio excusari, si teneat aliquam opinionem *contra manifestum Scripturæ testimonium, vel contra id, quod publicè tenet Ecclesia*.

Igitur si quis censeat non solùm probabiliter, sed etiam magis probabiliter, quinimo certò etiam credat licitè recipi posse ab Hæreticis baptisma extra necessitatem, hic nequit ab erroris vitio excusari; adeoque nec à peccato. In hac ergo materia, & in similibus; Et sic in aliis materiis claris, & in quibus, ùt utar phrasi D. Thomæ, possumus, & tenemur scire veritatem, incerta non sunt preponenda certis; hæc enim est materia scientiæ, non opinionis, & Probabilitatis. Ast in materia incerta, opinativa, probabili, obscura, & in qua scientia haberi nequit, dicunt Probabilistæ *incerta posse preponi certis*, & hanc veritatem certam puto, si incertum sit *probabilius*. Ratio evidens est; quia etiam Sancti in multis opponuntur inter se, etiam in moralibus, ùt dicit D. Antonin. par. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. hinc necesse est unam ex illis opinionibus esse falsam. Ita etiam Antiqui plurimas falsitates docuerunt, ùt longa serie refero c. 10. 11. & 12. mei Operis. Ut verò nemo de hoc dubitet, affero exemplum de D. Thoma q. 2. de malo art. 8. ad 3. Hic scribit: *Sicut semel inebriari est peccatum veniale, ita & multoties inebriari per se loquendo*; per accidens autem, & dispositivè multoties inebriari potest esse peccatum mortale. Ita Angelicus Præceptor. Hæc opinio illis priscis temporibus erat multorum præsertim Canonistarum; hinc potest dici in defensionem D. Thomæ, non fuisse errorem ipsius, sed ejus *sæculi*, sicut hoc modo defendit Tertullianum Pater Georgius Ambianus Capuccinus *Tertulliano Redivivo* tom. 1. in Vind. c. 2. sec. 3. & D. Augustinum Cardinalis Noris in Vindic. August. c. 4. §. 8. Tertullianus asseruit Hæreticos esse rebaptizandos, & D. Augustinus negavit Antipodas. In 2. 2. q. 150. art. 2. clarè, & expressè D. Thomas tenuit ebrietatem esse *per se peccatum mortale*. Certè D. Thomas, antequam Summam componeret, opinabatur ebrietatem *per se non esse peccatum mortale*. Hoc autem tunc erat incertum: Ergo in hac materia

teria

teria tunc obscura, opinativa, & incerta Angelicus Doctor incerta præposuit certis; idem dico de aliis Sanctis, & Antiquis, qui opiniones falsas tradiderunt.

151. Sicut ergo Probabilistæ, & Probabilioristæ præponunt opinionem benignam, quæ potest esse falsa, opinioni, quæ certò nullum importat peccatum, si in illa materia non est jus expressum; & sic est materia opinionis, & Probabilitatis; ita nos in materia, in qua non est jus expressum, imitantes Pontificem in humaniorem partem inclinamus, & miserrimis illis Personis misericordiam exhibemus, illosque homunculos baptizamus, & ita tenemus hanc opinionem, ut simus parati illos non baptizare, & sinere, ut in æternum pereant, si Pontifex opinionem D. Augustini approbaverit. Si verò judicaverit illa verba: *Tam Parvulis, quàm adultis baptismum proficere* c. *firmiter* de sum. trinit. & Clemen. eod. & illa alia: *Nec sexum, nec ætatem à baptismo excludere*, esse intelligenda etiam de nostris *Parvulis*, tunc salva reverentia D. Augustino debita, Decretum Pontificis sequi necesse erit juxta trigesimam propositionem damnatam ab Alexandro Octavo, quicquid plures Antiqui dixerint in oppositum.

152. Probatur nonò ex D. Thoma 3. par. q. 68. art. 9. & Scoto in 4. dist. 4. q. 1. & credo, me posse omnes Antiquos referre. Agunt hi Theologorum coriphæi quæstionem illam: *an Parvuli sint baptizandi* & affirmantem partem contra Pelagium sequuntur illa ratione, quia sicut per Adam *nascendo* peccatum originale contrahunt, & damnantur; ita multò magis per Christum *renascendo* salutem consequentur, & salvabuntur. Certè hæc ratio evidenter valet de nostris pueris; hi enim, ùt supra dixi, æquè contrahunt peccatum originale, sicut illi, qui sunt extra uterum, quia hi non trahunt originale *nascendo extra uterum*, sed *nascendo intra uterum*; unde firmissimè tenendum, ait Augustinus relatus in c. *firmissimè* de consecr. dist. 4. omnes parvulos sine baptismo decedentes damnandos fore. Ecce argumentum: Per Theologos, quia Parvuli traxerunt originale, ideo baptizantur; Sed Parvuli tam *in utero*, quàm extra uterum æquè contrahunt originale, ita ut exclusio ab utero nec sit ratio contrahendi peccatum originale, nec augendi contractionem peccati originalis. Ergo Parvuli tam in *Utero*, quàm extra uterum æquè sunt baptizandi.

153. Tam D. Thomas, quàm Doctor Subtilis ita solvunt objecta pro Parvulis extra uterum, ut doctrina valeat etiam pro Parvulis in utero, ùt loca allata legenti patebit; quinimo D. Thomas

mas

mas ad 1. habet doctrinam, quæ clarè favet Parvulis in utero: Scribit hìc: Quòd Regeneratio Spiritualis, quæ fit per baptismum, est quodammodo similis *Nativitati carnali* quantum ad hoc, quòd, sicut *pueri in maternis uteris constituti* non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur; ita etiam pueri nondum habentes usum rationis, quasi in utero matris Ecclesiæ constituti non per seipsos, sed per actum Ecclesiæ salutem suscipiunt. Ecce Regeneratio baptismi est similis *Nativitati carnali*. Sed quænam est hæc *Nativitas carnalis?* Ex sequentibus illis verbis: *Pueri in maternis uteris constituti, &c.* patet hanc esse *Nativitatem in utero*. Si ergo Regeneratio baptismi est similis *Nativitati carnali in utero*, poterit dici Renativitas baptismi per ordinē ad illam *Nativitatem*; Iteratio siquidem debet esse de eadem re, ùt patet ex toto titulo de *Sacramen. non iteran.* & suprà dixi. In nostro casu certè esse eadem omnino Nativitas nequit, quia Baptismus est aliquod supernaturale: Ergo sufficit esse eandem *sola similitudine*; cum ergo per D. Thomam Regeneratio baptismi sit similis *Nativitati carnali in utero*; Regeneratio baptismi dicetur Renativitas per ordinē ad hanc Nativitatem in utero. Suprà num. 92. ex Theophilacto, & Ruperto aliam assignavimus similitudinem inter Regenerationem baptismi, & Nativitatem in Utero.

154. Confirmatur ex eodem Doctore Subtili in 3. dist. 3. q. 1. ùt retuli num. 109. & 110. Agit ipse de Conceptione Beatæ Virginis, an fuerit concepta in Originali. Relatis fundamentis pro utraque parte, quæ ibidem attuli, in §. *tertium est manifestum.* concludit his verbis: Quod autem horum trium, quæ ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus novit. Si authoritati Ecclesiæ, vel authoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est attribuere Mariæ; hoc est, ùt dicit dist. 18. §. *aliter dicitur ponendo*, actualiter B. V. non fuisse inimicam Deo ratione peccati actualis, nec ratione Originalis. Negare nequeunt Adversarii possibile esse, Sacramentum Baptismi potuisse institui etiam pro infantibus in utero degentibus; Inficiari etiam nequibunt opinionem nostram habere textus Patrum ipsi faventes, sicut & rationes; ergo ad exemplum Scoti, imo à fortiori, quia agitur de Christo infinitè excellentiore Maria, concludamus: *Si authoritati Ecclesiæ, vel authoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est, attribuere Christo*; ac propterea instituerit Baptisma abluens à peccatis non solùm adultos, & pueros extra uterum, sed etiam in utero existentes.

155. Probatur ultimò ex D. Cypriano epist. 59. ad Fidum, cui respondit ex sensu Concilii. In hac quidem epistola Cyprianus asserit se cum Concilio agnovisse infantes recèns natos, etiam ante diem octavum, baptizandos esse; nihilominus plurimùm meæ opinioni favere certum puto; en textum: in hoc, quod tu (Fidus) putabas esse faciendum, nemo consensit; sed universi potiùs judicavimus nulli hominum nato misericordiam Dei, & gratiam denegandam. Nam cum Dominus in Evangelio suo dicat: Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare, quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est; *quid enim ei deest, qui semel in utero Dei manibus formatus est?* Ita Cyprianus. Hæc verba: *Quid enim ei, &c.* clarum continent argumentum pro mea opinione.

156. Subdit Sanctus Doctor: esse denique apud omnes sive infantes, sive majores natu unam Divini muneris æqualitatem declarat nobis Divinæ Scripturæ fides. Quæ res si secundùm nativitatis nostræ, & corporis qualitatem cogitetur, adulto, & provecto infans non posset æquari. *Sed illic æqualitas Divina, & spiritalis exprimitur, quòd pares, atque æquales sint omnes homines, quando à Deo semel facti sunt. Cum Spiritus Sanctus non de mensura, sed de pietate, atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbeatur.* Subdo ego. Si Divina bonitas æqualis est omnibus, sive provectis, sive infantibus, cur erit inæqualis infantibus in utero existentibus? *Nonne & isti à Deo semel facti sunt?*

157. Prosequitur Cyprianus: Nam Deus ùt personam non accipit, *sic nec ætatem*, cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem *æqualitate librata præbeat Patrem*. Ecce per Cyprianum nec Deus personam accipit, *nec ætatem*, sed omnes vult, ut cœlestem gratiam adipiscantur. Si Deus *ætatem* non accipit, nec requiritur ad gratiam nativitas ex utero, quæ cum *ætate* conjungitur; Quare Adversarii ætatem accipiunt?


158. Subjungit Sanctus Præsul: Propter quod neminem putamus à gratia consequenda impediendum esse ea lege, quæ jam statuta est, *sed omnem omnino hominem admittendum esse ad gratiam Christi, quando & Petrus in Actibus Apostolorum loquatur, & dicat, Dominus mihi dixit neminem communem dicendum, & immundum.* Hic me continere non possum: si omnis omnino homo admittendus ad baptismi gratiam est, cur excludentur infantes in utero? Nunquid non sunt homines? vel sub illis universalissimis vocibus: *Omnis omnino homo* non possunt concontineri nostri homunculi?

159. Finit

159. Finit Epistolam Cyprianus hisce verbis: Porro autem si etiam gravissimis delictoribus remissa peccatorum datur, & à baptismo, atque gratia *nemo prohibetur*; quantò *magis prohiberi non debet infans, qui recèns natus nihil peccavit*, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso faciliùs accedit, quòd illi remittuntur non propria, sed aliena peccata: & idcirco hæc fuit in Concilio nostra sententia, *à baptismo, atque à Gratia Dei, qui omnibus misericors, & benignus, & pius est, neminem per nos debere prohiberi*, quod cum circa universos observandum sit, atque retinendum, tum magis *circa infantes ipsos, & recèns natos observandum putamus*.

160. Ecce expresse per Cyprianum *omnibus Deus misericors, benignus, & pius est*. Quam pietatem, quam benignitatem, quam misericordiam infantibus in utero Deus largitur, si ipsos à baptismo excludit? Nec sufficit, si dicamus, Deum illos posse sanctificare; nam modò non quærimus, quid Deus largiri possit, præsertim de suprema sua omnipotentia, sed quid modò largitur, *quia Deus omnibus est misericors, &c.*

161. Præterea, si multò magis infans *recèns natus* à baptismo prohiberi non debet ob hanc rationem, *quia* nempè *nihil peccavit, sed solùm secundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiqua prima nativitate contraxit*; Cur infans in utero, qui habet contagium mortis antiquæ prima nativitate contractum, ac propterea secundùm Adam carnaliter natus est, & nihil peccavit, idest, nullum peccatum commisit, à baptismo prohiberi debebit? Certè, si veritatem fateri volumus, dicamus oportet, omnes rationes, ob quas Cyprianus, & Concilium sanxerunt infantes recèns natos baptizandos esse, ostendere pueros in uteris existentes baptizari posse. Hic textus D. Cypriani laudatur à D. Augustino lib. 1. c. 3. contra Julianum Pelag.



CAPUT X.

Fundamenta opposita opinionis, uno excepto, refelluntur.

162. NUnc restat, ut rationibus in oppositum adductis c. 2. respondeamus, quod facilè erit ex hucusque dictis. Ad quatuor illas relatas num. 14. quibus Antiquiores innitebantur, respondeo cum D. Thoma in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. Ad primam ex D. Ambr. lib. 1. Epist. 12. super Ezech. c. 36. Baptismum non requirere pœnam exteriorem, & peccato originali non deberi pœnam sensibilem. Ad secundam, & tertiam *nihil valere, quia repugnant sanctificationi in utero, & baptismo*. Ad quartam. Nativitas neque est Animæ, nec corporis, sed conjuncti; unde in nativitate in utero nascitur & corpus, & Anima. His addo ad primam, ex dictis evidenter constare infantem in utero posse ablui instante partu; hinc, si volunt hanc ablutionem in puero extra uterum esse pœnam sensibilem, & exteriorem, talem pœnam fingere poterunt in puero intra uterum.

163. Ego maximè laudo responsionem ad secundam, quia ex ipsa sequitur evidenter, Adversarios in illo unico suo fundamento, Renativitatem nempe spiritualem necessariò ante se habere nativitatem ex utero, assumere falsum, nam juxta D. Thomam Regeneratio spiritualis habetur in Sanctificatis in utero, in quibus per Adversarios non adest generatio. Igitur prima Generatio Gratiæ per D. Thomam, quæ est Regeneratio spiritualis, non habet ante se necessariò Generationem; & sic nec nativitatem ex utero. Addo ad tertiam, Placentam aliquando post partum hærere utero ex Daniele Sennerti tom. 2. Operumque 3. lib. 4. par. 2. sec. 6. c. 3. Etmulero tom. 2. Colleg. pract. sec. 8. de regim. puerper. Philippo Maziero *Sogno Chirurgo giornata prima*; hinc infans natus adhuc conjungitur per Vas umbilicale causæ originalis peccati, & tamen certum est baptizari posse, licèt in vagina existentem, & solùm extra uterum caput habentem; quapropter rectè Doctor Angelicus dixit illam tertiam rationem repugnare Baptismo, quia scilicet reputari deberet invalidus in casu, in quo certò est validus.

164. Ad rationes D. Thomæ relatas num. 15. patet ex dictis infantem instante partu posse ablui, subjici operationi ministrorum Ecclesiæ, & ipsis esse notum; hinc Soto, & Estius manifestè decepti sunt putantes rationem illam: *quia* scilicet *puer in utero nequit ablui*, esse evidentem, & *manifestissimam*. Si D. Thomas posset intelligi solùm pro tempore, quo uterus est clausus, tunc ejus rationes essent veræ; sed tunc quæstio non solvitur quoad omne tempus, quo puer est in utero. Infans etiam in utero vivit, si non cum aliis, saltem cum sua matre; hinc mortua matre, si citò non extrahitur, moritur ipse quoque; Sed ob quam causam, quæso, nequit dici vivere cum aliis hominibus? Et cur hæc ratio requiritur necessariò ad Sacramentum?

165. Dices: Non scimus certò, an id, quod est in utero, sit homo, sicut nec, an sit vivum; cum aliquoties Medici peritissimi decipiantur.

Sed contra, antecedens valet de certitudine physica, non morali. Præterea, sicut, dum partus extra uterum, si dubitatur, an sit homo, vel monstrum, an vivus, &c. baptizatur sub conditione ex c. *de quibus* de bapt. ita faciendum, dum certi non sumus in nostro casu, an subjectum sit capax.

166. Ad Canones *si baptizata*, & *qui in maternis* dico non habere certitudinem legis Ecclesiasticæ, quia est sub lite, an Decretum Gratiani, in quo illi Canones reperiuntur, sit receptum ab Ecclesia tanquam lex, de quo vide Suarium lib. 4. de leg. c. 5. num. 6. Ego partem negativam amplector, cum hanc Doctor Angelicus, & Subtilis apertè tueantur. Ille 3. par. q. 80. art. 6. ad 3. asserit c. *cum sæpe contingit*, & c. *Si Episcopo* 2. q. 4. continere errorem. Hic in 4. dist. 6. q. 8. tenet c. *qui bis* de consecr. dist. 4. non posse infligere irregularitatem Ecclesiæ, quia ille Canon est Archiepiscopi Cantuariensis, qui non habet authoritatem in totam Ecclesiam, cum solus Pontifex tanta potestate polleat. Ergo clarè D. Thomas, & Scotus non agnoscunt authoritatem certam in Canonibus insertis in Decreto Gratiani. Eodem modo respondeo ad Canonem *si ad matris*, qui est conditus ab Augustino, & continetur in eodem Decreto. Præterea hic Canon probat solùm, infantem in utero baptizari eodem baptismo non posse, quo mater baptizatur, ùt dicitur in rubro, & patet in textu. Eodem modo potest intelligi allatus Canon, *qui in maternis*. Ratio quidem hujus Canonis est contra me; Sed nihil obstat, quia licèt Canon sit certus, ratio Canonis semper non est certa Glos. in c. *majores* de baptis. V. *originale*, & probavi in meo Opere num. 83.

167. Ad rationes num. 17. In nostra sententia puer in baptismo tertiò non nascitur, utique verò in opposita ex dictis. Sic etiam ex ratione, & authoritate D. Thomæ patet regenerationem Gratiæ necessariò non habere ante se generationem naturæ, & sic nec nativitatem ex utero. Vide num. 162. Tum quia est evidens Sanctificatos in utero regenerari, & renasci. Tum quia Angeli habent eandem generationem spiritualem, ac nos, & tamen ipsi nec sunt nati, nec geniti, sed creati. Ergo renativitas Spiritualis non connectitur nisi cum actione, qua producatur subjectum rationale, quod solùm est capax gratiæ sanctificantis, & regenerationis spiritualis.

168. In nostra quoque opinione est certum infantem egredientem ex utero non dici renasci, & hoc omnes fateri debent, nam actio, per quam homo producitur in utero, est propriè nativitas ex D. Thoma, & Theologis ex dictis. Ergo, si infans egrediens ex utero debet dici renasci, computando nativitatem ex utero, omnes coguntur vocare illum Infantem Renatum. Igitur renativitas est, quando iteratò habetur eadem nativitas; Cum ergo toto Cœlo differant nativitas in utero, ac nativitas extra uterum, quia illa producit *ens simpliciter*, hæc *ens secundùm quid*; Illa transfert à negatione hominis ad formam hominis, hæc ab uno ad alium locum; jam nativitas extra uterum non est iterata nativitas; & sic nec renativitas.

169. In nostra quoque Sententia non sequitur illud absurdum hominem renasci, antequam nascatur; dicimus enim puerum in utero baptizatum renasci spiritualiter, antequam nascatur extra uterum, sed non antequam nascatur in utero; at nullum est absurdum hominem priùs nasci spiritualiter, quàm ex utero, quia levis momenti est ex D. Thoma illa credulitas, *generationem Gratiæ supponere generationem* (utique ex utero) *naturæ*. Gratia enim solùm exigit subjectum Rationale, quod habetur, antequam exeat ex utero.

170. Nec opinio opposita est Ecclesiæ Traditio; de hac enim debet verificari illud Augustini lib. 4. de bapt. contra Donat. c. 24. *Quod Universa tenet Ecclesia, nec Conciliis Institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur*. Sic etiam de Traditione scribit Lirinensis Commonit. c. 4. illud esse traditum, quod *Ecclesiæ Doctores, & Magistri uno, eodemque consensu apertè, frequenter*, perseveranter *tenuerunt, scripserunt, docuerunt*. Adversarii referre debent Doctores florentes ante D. Augustinum, qui ipsius opinionem docuerint, & cum nullus inveniatur; Ergo D. Augustinus fuit au-

thor

ctor suæ opinionis. Debent etiam assignare Doctores viventes inter tempus D. Augustini, & D. Isidori, quod complectitur ex Philippo Labbè de script. Eccles. ducentum, & sex annos. Debent etiam referre Doctores existentes inter tempus D. Isidori, & Magistri Sententiarum, quod continet ex eodem Labbè quingentos, & vinti octo annos. Cum ergo tanto tempore non habeantur Doctores pro Adversariis, sequitur hanc opinionem *perseveranter* traditam non fuisse; & cum initium habuerit à Divo Augustino, nec semper Doctores habuit; atque adeo evidenter opinio Adversariorum non est Ecclesiæ Traditio. Vide num.....

171. Sed nec contra nos allegari potest ex num. 20. consuetudo Ecclesiæ. Dico ergo non rite nos ratiocinari: Hoc nunquam factum est in Ecclesia. Ergo nec posthac fieri debet; nam ante annum 1492. nunquam ab Ecclesia missi fuerunt Operarii Evangelici in Americam; Ergo nec posthac mittendi erunt? Ita etiam usque modo nunquam missi sunt Sacerdotes in regiones polares; Ergo nec postea mittentur? Certè hæc argumentatio prophetica esset contemnenda, & Principes non ob id desisterent ab exploratione illarum Regionum. Igitur *veritate manifestata*, dicebat Augustinus lib. 3. c. 6. contra Donat. *Cedat consuetudo veritati. c. veritate. c. si consuetudinem. c. qui contempta. c. frustra. c. consuetudo. c. si solùm* 8. dist. Tum quia ex Beda in Marc. lib. 3. c. 1 tà non omnia scripta sunt, quæ in Ecclesia sunt gesta. Ergo, licèt non legamus baptizatos fuisse pueros in utero, non propterea certò credere debemus id factum non fuisse.

172. Sic etiam Ecclesia antiquitùs non mittebat Ministros ad Zonam torridam, ultra Oceanum, & ad Antipodas, quin etiam tempore D. Thomæ par. 1. q. 102. art. 2. ad 4. Opinio Aristotelis asserentis illam Zonam esse inhabitabilem probabilior videbatur; Oceanum verò ùt innavigabilem asseruit D. Nazianzenus Epist. 71. & orat. 10. quòd si plures veterum cognoverunt illum ùt transmeabilem apud Malvendam de Antichristo lib. 4. c. 24. intelligendi sunt de Oceano, per quem ad plagas Orbis veteris transmeamus, non de illo, per quem ad novum Orbem navigamus. Quoad Antipodas illos ùt fabulas rejiciunt Lactantius de instit. Divin. lib. 3. c. 24 D. August. de Civit. Dei lib. 16. c. 9. Procopius Gazæus in 1. Genesis, & Beda de ration. temporum c. 32. Quinimo tempore Durandi in 4. dist. 44. q. 9. num. 8. communiter tenebatur, *ex opposito terræ nostræ habitabilis non esse nisi aquam*. Cum ergo in hoc facto Ecclesia deciperetur à Doctoribus, non poterat sequi veritatem, quæ necessariò dependet ab illo facto, & mittere operarios in illas Regiones. Hic nota Ec-

clesiam in *Facto nonnunquam opinionem sequi, quæ sæpe falli contingit, & fallere ex c. à nobis* el. 2. de senten. excomm. & Panormitanus num. 2. intelligit etiam de Ecclesia Universali. Manifestata postea veritate à nunquam satis laudato Christophoro, Columbo nunc Ecclesia in Zonam torridam, ultra Oceanum, & ad Americam Operarios mittit, missura etiam ad plagas Polares, si Recentiores magnanimo ausu detegent esse ab hominibus cultas. In nostro casu antiqui Theologi credebant pueros in utero non posse ablui; (Soto, & Estius certam hanc existimationem censebant num. 164.) hinc Ecclesiæ Ministri hosce libros legentes hac credulitate imbuebantur; ac proinde operam non navabant illos pueros baptizandi. Accedebat in Patribus, si excipias Tertullianum, forsan hujusce *ablutionis* vestigium non reperiri.

173. Ad confirmationem rationum allatarum num. 22. respondetur facilè. Quamvis Vulgus infantes in utero non vocet Natos, & genitos, tales illos appellat Schola Theologica, à qua explicantur Scripturæ, non verò à Vulgo; maximè cum etiam Jesus in utero dicatur Matt. 1. *Natus*. Sed de hoc alibi satis dixi; hinc nihil remanet respondendum.

174. Ad Leges. Hæ pene in toto jure Civili *l. qui in utero sunt* ff. de stat. homin. habent infantes in utero pro *Natis*, quando agitur de illorum favore; quando verò agitur de illorum damno, illos nec habent pro *Natis*, nec pro hominibus distinctis à Matre, sed nomine *Ventris* eosdem accipiunt; & licèt in d. l. *Ventri* agatur de favore, adhuc nomine *Ventris* vocantur figuratè, accipiendo continens pro contento. Ex dictis etiam num. 77. & 87. patet abortus vivos certò esse baptizandos. Ergo ad baptismum non requiritur perfecta generatio, & ideo abortus non frangunt testamentum, quia pueri in utero sibi prodesse possunt, non aliis l. *qui in utero est*. ff. de stat. homin.

175. In meo Tract. c. 39. & c. 40. Clarissimis exemplis demonstravi Opiniones ex capite *Novitatis* non esse improbandas; quinimo D. Antoninus ex hoc præsertim laudavit Doctorem Angelicum. In d. c. 39. num. 21. & seqq. demonstro Novitates contra principia certa esse absurdas, & prohibendas, non verò novitates contra principia probabilia, & incerta, & hac distinctione intelligendi sunt Canones ad oppositum producti num. 29. Cum ergo, ut dicebam, opinio D. Augustini fuerit innixa principiis probabilibus, possum, illis solutis, oppositam docere ex ipso Augustino Epist. 111. in c. *neque quorumlibet* 9. dist. relato, Tum

Tum quia nostra opinio de novitate redargui non potest; quia quoad materiam Theologicam non differt ab illa Gabrielis; atque adeo in hoc genere antiqua dicenda est. In re philosophica est omnino nova, nimirum hæc veritas: *Infans in utero ablui potest*, est nova, & recens, & primus, qui de illa mentionem faciat, est Paulus Comitolus allegatus num. 70. Sed jam novimus in hac materia novitatem spernendam non esse, sed amandam, nec Veterum Theologorum oppositum assertum aliquid negotii facessere debet ex dictis cap. 3. verùm potiùs debemus illos, si possumus, benignè interpretari; & revera laudatus Pater Viva credit Antiquos Doctores nobis non opponi, & intelligendos esse loqui de pueris existentibus in utero omnino clauso.

176. Ad textum Tridentini, & c. *placuit* allatum num. 24. vide num. 122.

Ad Authoritatem Ritualis Romani dico intelligendam esse, si infans sit ita in utero clausus, ut aqua nequeat ad illum pervenire. Ratio est, quia in obscuris minimum est sequendum c. *in obscuris* de reg. jur. in 6. Ergo sufficit, si regula Ritualis salvetur in minimo casu inter plures, qui habent diversas rationes. Tum quia per Rituale posita quacumque parte extra uterum, quæ possit ablui, conceditur baptisma; Ergo etiam, si in utero potest ablui, poterit baptizari. Concedo porro Ecclesiam Romanam esse ita omnium Magistram, ut etiam extra Concilium sit infallibilis; at nego, ipsam docere non esse baptizandum puerum in utero, quando uterus est apertus; immo valde credibile est, cum ipsa sit omnibus magis misericors, cum sciverit veritatem physicam de ablutione horum puerorum, esse benignè iisdem Sacramentum concessuram. Addo nos baptizando hos pueros non mutare ritus Sacramenti, nec liberè eosdem relinquere, sed ob necessitatem omittere ritus, qui non sunt de necessitate Sacramenti, quod fieri in aliis casibus passim videmus.

177. Quia Innocentius Undec. determinavit in conferendis Sacramentis nos non posse uti opinione probabili relicta tutiore, quando agitur de valore Sacramenti; hinc in nostro casu debemus ministrare baptisma sub conditione; sic enim vitatur periculum frustrandi Sacramentum, si vera esset opinio Adversariorum, & periculum Animarum, si esset falsa; & ita faciendo certum tenemus, quia omne periculum devitamus, quod non faciunt Adversarii, dum negando Sacramentum iis periculum damnationis puerorum incurrunt.

178. Denique, quantum attinet ad Authoritates, quas adeo exaggerant Doctores oppositi, dico quoad Authoritatem Docto-

rum longè noſtram opinionem excedi. At ipſi negare nequeunt hoſce tantos Doctores in hac difficultate non obtinere ſummam exiſtimationem, ùt alias merentur, cum evidens ſit, majorem, & meliorem partem fundari in ratione, quæ vel ex parte eſt error, vel non ſolvit quęſtionem in ſenſu proprio; Fundantur enim, *quia infans in utero nequit ablui*. Si hæc propoſitio intelligatur universè, eſt error apertus, ſi de tempore, quando uterus eſt clauſus, tunc non ſolvitur quæſtio juxta ſenſum proprium verborum. Quæſtio eſt de Utero; aſt uterus in ſeipſo, & ſemper non implicat impedimentum baptiſmi, ſed indifferens eſt, cum aliquando poſſit admittere ablutionem baptiſmalem.

Quidam Religioſi viri ridebant, & mihi inculcanti ablutionem Clyſtere faciendam illudebant; aliis verò videbatur eſſe valde indecens, & indecorum baptizare pueros exiſtentes intra uterum, & ejus vaginam.

Sed contra, quia potiùs ipſi digni ſunt riſu, qui judicant actionem illam eſſe ridiculam, cum tamen revera ſit eadem cum illa, qua pueri extra Uterum Cœlum acquirunt; nec illa actio irreverentiam Sacramenti præſefert, ſed ſolùm minorem quandam reverentiam, quæ tamen eſt excuſabilis ob extremam neceſſitatem horum infantium c. *quod non eſt* de reg. jur. cum concordantiis. Tum quia antiquitus Circumciſio fiebat abſque irreverentia in parte generationi inſerviente. Tum quia etiam modò celebratur baptiſma, licèt ſolùm caput ſit extra uterum. Tum quia reſpectu Dei nulla pars corporis noſtri eſt indecens; hinc Lactantius de opific. Dei c. 13. vocat partes generationi dicatas *Admirabile Dei opus, & rem Sanctiſſimam*.

Pater Martinus Vvingandt in Tribunali confeſſariorum tract. 11. exam. 5. num. 18. ſequitur opinionem antiquam, non quidem ob rationem, quam toties inculcat D. Thomas, ob incapacitatem ablutionis ſcilicet, ſed quia puer non eſt natus. Mirum eſt, Doctorem de Schola Divi Thomæ adhærere rationi, qua nunquam uſus eſt Angelicus Præceptor, quamque forſan invalidam credidit, de quo vide num. 162. & 163.

CA-

CAPUT XI.

Diluitur objectum dicentium opinionem nostram esse Patribus ignotam.

179. HÆc objectio inculcari solet à Probabilioristis in quali-bet passim materia, & , ùt ita dicam, quando ipsa opinio illis non arridet; sed quò faciliùs usurpatur, eò & faciliùs contemnitur, ut potè sine ullo fundamento prolata. Quidam Sacræ Theologiæ Regens in suis Assertis Theologicis de hac mea opinione hanc eandem censuram protulit. Hìc multis, & spero satis efficaciter, diluere placet hujusmodi objectum.

180. Respondeo primò optandum omnino esse, & suadendum, ut casus Conscientiæ, & quæstiones theologicæ Patrum textibus dissolvantur; at esse negotium adeo arduum, ut paucissimi id exequi possent; namque nimia librorum Copia, & nimium tempus requireretur; quapropter pro certo habeo, ut, si quis vellet ex hisce solis principiis tractatum de matrimonio conficere, priùs vitam sit confecturus, quàm librum.

181. Respondeo secundò retorquendo argumentum. Theologus utens hisce principiis errare potest, sicut utens rationibus naturalibus; Ergo non ob id, quòd nostra opinio Patribus esset incognita, argui potest non habere principia, quibus probari possit. Antecedens non intelligo, quasi Patrum textus ex se inducant in falsitatem; esset enim grande piaculum, vel solùm hoc suspicari; sed quòd Theologus ob sui intellectus imperfectionem, sicut malè applicat naturalia principia ex se vera, ita malè applicabit authoritates Patrum. Antecedens ita intellectum cum præseferat quæstionem Facti, Testibus est probandum, & solùm quinque afferam, cum aliàs in ore duorum, vel trium stet omne verbum.

182. Primus sit Famosissimus Canonistarum Princeps, Gratianus. Hujus errores colligit D. Antoninus, par. 4. tit. 11. c. 8. de quibus ego in meo Probabilitatis Tractatu c. 12. num. 3. Hìc unicum referam tanquam deteriorem plurimis, & plurimis Diffusissimam, licèt ipse vocet brevem, quæstionem instituit de pœnit. dist. 1. an confessio peccatorum sit sub præcepto. Octua-

ginta novem Patrum, & Conciliorum textus retulit pro solutione difficultatis, plures pro parte affirmante, & plures pro negante. Tandem sic concludit; *Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis, & confessionis innitatur*, (an scilicet sit necessaria, vel non, inquit Glossa) *in medium breviter exposuimus; cui autem horum potius adhærendum sit, Lectoris judicio reservatur; utraque enim fautores habet Sapientes, & Religiosos Viros.*

183. Ergone vir ille acutissimus Gratianus post exactissimam, & longissimam allegationem Patrum, & Conciliorum videre non potuit splendidissimam Fidei veritatem, quinimo potuit damnare licentiam sequi hæresim laxissimam, quæ sola deterior est omnibus laxitatibus, quas invexisse Juniores in materia de confessione canunt Adversarii?

184. Secundus sit Theologorum Antesignanus, Petrus Lombardus, *Magister Sententiarum* dictus, quia Patrum sententias in unum volumen collegit, & ex eis Theologicas conclusiones eruit. Hoc volumen Henricus Gandavensis de Script. Eccl. c. 31. vocat *Opus magnum, & arduum*. Credo ego dici *Opus magnum* non mole, est enim in hac ratione parvum, sed materie rerum sublimium. Hujus Celeberrimi Theologi errores collegit D. Antoninus ibidem, & ait esse quatuordecim. Carthusianus in 4. Senten. princ. & Bellarminus de Scriptor. Eccles. asserunt esse viginti sex. Ego ibidem mentionem facio de sex moralibus. Hic solum duos afferam. In 4. dist, 34. §. *de his* docet cognoscentem sororem Uxoris suæ non teneri Uxori petenti debitum reddere, & dist. 36. §. fin. sustinet, uxoratum in Patria, si in alia regione alteram ducat, & facti pœnitens velit ad priorem redire, & nequeat; Sed per Ecclesiæ disciplinam cogatur secundam tenere, *incipere excusari per obedientiam, & timorem, quòd poscenti mulieri debitum reddit, à qua ipse nunquam poscere debet; & sic de aliis hujusmodi sciendum est.* Ecce aperta injustitia, & apertum adulterium à famosissimo Theologo procedente juxta principia Adversariorum, excusata.

185. Tertius sit Glossator Canonicus. Quantum versati fuerint Authores glossæ Canonicæ in dictis Patrum, facilè intelligent legentes glossemata, quæ in Decretum, & Decretales ediderunt. Quot, & quantos errores sequuti fuerint hi viri famosi, videri potest in c. 2 cujus mei Tractatus. Hic duos iterum refero. In c. *pastoralis* de offic. Judic. ord. V. *præterquam* in antiquis glossis asserit Laicum posse absolvere à peccatis mortalibus in necessitate, & ex hoc eruit posse absolvere ab excommunicatione,

tione, & dist. 5. de pœnit. §. *in pœnitentia autem*. V. eod. Confessionem Sacramentalem non esse de jure Divino, sed Ecclesiastico, & quia hæc lex Ecclesiæ non emanavit apud Græcos, *ideo Græci non tenentur ad Confessionem Sacramentalem*.

186. Ex his in d. meo Opere asserui hosce famosissimos Antiquos procedentes juxta principia, quæ sola celebrantur apta pro moribus ab Adversariis, plus erravisse, quàm Recentiores, qui per ipsos procedunt solis rationibus naturalibus. Plus, inquam, erravisse, si non Aritmeticè, saltem Geometricè. V. G. Magister Sententiarum paucissima scripsit de Morali, & in hac materia sex habuit errores. Concedam quendam Juniorem centies errasse. Adhuc Magister proportione geometrica servata inter scripta Magistri, & hujus Recentioris plus erravit.

187. Alii duo testes nostræ veritatis erunt Recentiores, sed valde famosi, & ambo Episcopi, & versatissimi in Patribus; Sunt autem Cornelius Jansenius, Episcopus Iprensis, de quo tantum loquitur tota Europa, & Franciscus Genettus, Episcopus Vasionensis, cujus Theologiam moralem Eminentissimus Cardinalis *le Camus*, Episcopus Gratianopolitanus, præcepit ad laxitates morum compescendas, ut Clerici suæ Diœcesis ediscerent.

188. Uterque ex his Illustrissimis Episcopis est illius opinionis, nimirum Theologicas quæstiones solis Scriptura, & Traditione dissolvendas esse. Episcopus Iprensis in præfat. Sui Operis gloriatur se totum Augustinum *duodecies* legisse, sed libros de corrept. & gratia *trigesies*. Jam scimus edocuisse quinque famosas propositiones, quas ut hæreticas Sedes Apostolica damnavit.

189. Episcopus Vasionensis tom. 1. tract. 1. c. 1. q. 1. asserit *nullum esse casum, ut in hujusce operis prosecutione facilè videbitur, qui non sit* expresse *decisus, aut saltem cujus decisio* per legitimas, & nullo modo violentas consequentias, *non possit erui, & haberi à principiis à Conciliis, aut Sanctis Patribus in materia morum constitutis*.

190. Sed videamus, quæso, utrum ipse quoque errores docuerit, & facta verbis consentiant. Igitur Author ibidem c. 2. quæst. 2. asserit duas esse *tantùm* conscientiæ species, ad quas cæteræ reducuntur. Prima vera est, & ea, ad quæ obligamur, rectè ostendit. Altera falsa, aut erronea appellari potest, *quia nos in errorem inducit, & falsum pro vero proponit*.

191. Ecce in hac quæstione confundit conscientiam falsam cum conscientia erronea, & tamen discipulis est notum toto cœlo differre. Conscientia falsa potest esse probabilis, erronea nunquam.

Aut

Aut Thomista, aut Scotista in oppositis opinionibus habet conscientiam falsam, sed non erroneam. D. Antoninus 3. par. tit. 13. c. 4. §. 7. habuit conscientiam non peccandi lethaliter, si de industria animo distractus horas Canonicas recitaret. Certè hanc benignissimam opinionem damnat Illustriss. Clerus Gallicanus anno 1700. ad Comitia Generalia congregatus, & damnant Probabilioristæ; hinc forsan hæc opinio benigna est falsa; & tamen certissimè D. Antoninus non habuit conscientiam erroneam.

192. Secundus error est tom. 3. de bapt. c. 8. q. 7. Hic quærit, in quo consistat cognatio, quæ contrahitur in baptismo. Respondet afferendo c. *nedum* de cognat. Spirit. in 6. in quo statuitur baptizatum contrahere cognationem spiritualem, etiam cum suscipientis filiis, & Uxore. Nescio, an in Gallia sit receptum Tridentinum sess. 24. de refor. matrim. Certè c. 2. decernitur cognationem Spiritualem in baptismo *tantùm* contrahi à baptizato cum suscipientibus, & in fine capitis tolluntur omnes aliæ cognationes. Ergo est evidens nostris temporibus baptizatum non contrahere cognationem Spiritualem *cum filiis, & Uxore suscipientis*. Si in Gallia quoad cognationem Spiritualem perseverant jura Antiqua, tunc Author est excusabilis aliquo modo, sed non sunt excusandi, qui laudant excudi Opus pro Italis, apud quos *est error manifestus illud antiquum rigorosum decretum*. An Probabilioristæ credunt omne illud esse laudandum, quod Rigiditatem sapit?

193. In progressu Operis ejusdem Doctoris non solùm *facilè video nullum esse casum, qui non sit expressè decisus, aut saltem per consequentias legitimas, & nullo modo violenter deductus* à Conciliis, & Patribus, sed plures invenio nullo modo ex his principiis stabilitos, & alios illegitimè erutos. Pauca referam; quisque ex se hoc facilè noscet. In tom. 1. tract. 3. c. 7. facit quatuor quæstiones. Primam resolvit ex suo judicio, & textu ex l. *obligatio*. ff. mandati. Secundam ratione naturali, & authoritate Ciceronis in Epist. pro Sexto Roscio. Tertiam determinat solis rationibus naturalibus. Quartam dissolvit afferendo rationem naturalem, & in probatione confirmat propositiones evidentes authoritate D. Thomæ. Ecce in hoc capite tres quæstiones dissolutæ sine Conciliis, & Patribus, & solis rationibus naturalibus, & quod magis est, authoritate etiam Ciceronis. Certè authoritas Philosophorum apud Theologos minoris ponderis est, quàm ratio naturalis. Quarta quæstio dissolvitur quidem etiam authoritate D. Thomæ, quæ tamen non affertur ad propositum. Dif-

ficultas

ficultas est, an casus, & quæstiones dubiæ erui possint ex Conciliis, & Patribus, non, an propositiones certæ, & evidentes reperiantur in Conciliis, & Patribus. Cui in mentem venire potest Concilia, & Patres nescivisse certa, & evidentia non vidisse? quis illos cæcos suspicari poterit? Hic est error plurium Probabilioristarum, quem in meo Tractatu sæpe detexi. Hi Doctores in materia de Probabilioritate, & aliis longa serie cogunt textus Patrum, quos si maturè perpenderis, videbis afferri non pro re dubia, de qua difficultas procedit, sed de re clara, quam etiam vident Probabilistæ; ac proinde de illa quæstionem non movent. Lege etiam tract. 4. c. 4. & c. 14.

194. Quoad casus illegitimè erutos, ipse in pluribus locis ad probandum aliquod ad jus ecclesiasticum spectans affert vel Concilium Provinciale, vel Synodum Diocœsanam, vel etiam statuta alicujus parvæ Abbatiæ, & hæc licèt novissimè celebrata. Hunc modum probandi in hac materia rejicit ùt illegitimum Doctor Subtilis in 4. dist. 6. q. 8. ubi tenet ignorantem ignorantia facti bis baptizatum non esse irregularem, quamvis talis sit per c. *qui bis* de consecr. dist. 4. & rationem assignat; quia scilicet Canon ille non est conditus à Pontifice, sed à Theodoro Episcopo Cantuariensi, qui proinde totam Ecclesiam obligare nequit. Vide tom. 3. tract. 2. c. 3. q. 7. tract. 4. c. 9. q. 5. c. 10. q. 8.

195. Respondetur tertiò ad objectum, non esse necesse, ut dubios conscientiæ casus resolvamus, nos Patribus uti. D. Thomas movens difficultatem an theologicæ determinationes fieri debeant authoritate, an ratione, quodl. 4. art. 18. docet, si disputatio sit cum Hæreticis, Hebræis, &c. utendum esse Sacra Scriptura, & illa quidem, quam recipiunt Adversarii; quòd si hi nullam authoritatem Scripturæ admittant, oportere ad eos convincendos ad rationes *naturales confugere*. Si verò disputatio sit magistralis in Scholis non ad removendum errorem, sed ad instruendos auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit, & *tunc oportet rationibus inniti investigantibus radicem veritatis, & facientibus scire, quomodo sit verum, quod dicitur*; alioquin, si nudis authoritatibus magister quæstionem determinet, certificabitur quidem auditor, quia ita est, *sed nihil scientiæ, vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet*.

196. Habes per D. Thomam rationes naturales convincere in materia Theologica eos, qui nullas sacras authoritates recipiunt. Nunquid hæ rationes naturales non convincent etiam nostros Theologos, & Fideles? Habes etiam rationes investigare radicem veritatis, & facere scire, quomodo sit verum id, quod di-

citur. Habes tertiò authoritates probare, rem ita esse, sed Nos per ipsas *nihil scientiæ, vel intellectus acquirere*. Ergo in Sententia Doctoris Angelici *Rationes naturales* convincunt casus conscientiæ, radicem veritatis illorum investigant, *& scientiam, vel intellectum acquirere faciunt*. Ergo, ut dubios conscientiæ casus resolvamus, uti Patribus necesse non est juxta D. Thomam.

197. Secundò, sicut plures partes Sacræ Scripturæ perierunt, de quibus fit mentio 3. Reg. c. 4. c. 11. Machab. 1. c. 6. & alibi; ita plurima scripta Patrum dispersa sunt. Ergo veritates contentæ in illis libris Scripturæ, & Patrum disparuerunt. Nec juvat, si dicas cum Juenino tom. 1. dissert. 4. c. 5. art. 1. ex D. Augustino illos Scripturæ libros non fuisse Canonicos; nam Libri à Salomone Reg. 3. c. 4. scripti supra herbas, plantas, & jumenta licèt non haberent veritates Supernaturales, haberent veritates naturales, ut potè à Viro omnium Doctissimo facti; & sic ex cognitione talium veritatum potuissemus obligari pro curatione morborum ad sumenda quædam pharmaca, ad quorum sumptionem modò non adigimur, quia illas veritates ignoramus.

198. Tertiò hæc veritas habetur, ni fallor, in c. *de quibus* 20. dist. En canon. De quibus causis nulla solvendi, ligandique authoritas in libris veteris Testamenti, quatuor Evangeliorum cum totis Scriptis Apostolorum appareat, ad Divina recurre Scripta Græca; si neque in illis, Canones Apostolicæ Sedis intuere; si nec in illis, ad Catholicæ Ecclesiæ Historias Catholicas à Catholicis Doctoribus scriptas manum mitte; si nec in illis, Sanctorum exempla perspicaciter recordare. *Quod si omnibus his inspectis hujus quæstionis qualitas non lucidè investigatur, Seniores Provinciæ Congrega, & eos interroga; faciliùs namque invenitur, quod à pluribus Senioribus quæritur*. Ecce datur casus, qui lucidè non solvitur per Scripturas, Patres, Pontifices, Historias Sacras, & Sanctorum exempla; &, ut solvatur, Seniores Provinciæ congregandi sunt. Lege Glossam in figuratione casus, Archidiaconum, Prepositum, Geminianum, Turrecrematam, & Bellameram in illum Canonem, qui omnes inveniri credunt quæstionem, quæ nequeat solvi per illa principia; ac proinde esse congregandos Seniores, unique homines viventes, *&, quid hic sit agendum, Dominus revelabit*, inquit cum Hugo Bellamera.

199. Assignando casus particulares, qui ex principiis solis supernaturalibus decidi nequeunt, dicimus esse illum, nempe Pontificem debere mittere Operarios Evangelicos ad Antipodas, Ameri-

Americam, &c. de quo dixi num. 172. Aliquis forsan adderet etiam nostrum præsentem, & assignaret hanc rationem, quia nempe in libris extantibus Patrum non apparet hæc veritas: *tempore partus instantis infans potest ablui in utero*. Ergo nec potest apparere, hunc infantem posse baptizari, ùt rectè, concesso antecedenti, D. Thomas, & cæteri Theologi antiqui argumentabantur, & ante ipsos Innocentius Tertius in c. *non ut apponeres* de bapt. aliquis, inquam, ex eo, quòd D. Thomas, & prisci Theologi negaverint ablutionem in hoc casu, diceret apud Patres non inveniri hanc veritatem de ablutione, quia videtur difficile, tot, & tantos Theologos per plura sæcula in Sanctis Patribus non invenisse hanc veritatem, si adesset. Sed revera absolutè nemo illud antecedens proferre debet, nisi priùs omnia omnium Scripta Patrum perlegerit, quia judicium solùm de re priùs cognita proferri debet; hinc puto Adversarios gratis, & absque fundamento dicere, *nostram opinionem esse Patribus incognitam*. Videruntne omnia Scripta Patrum? Per me tamen hæc veritas eruitur ex Tertulliano allato num. 60.

200. Respondeo quartò ad objectum, hoc sibi fecisse olim Scotum in 3. dist. 3. q. 1. ex D. Bernar. Epist. 174. qui redarguit Canonicos Lugdunens. quia instituerint *novam* solemnitatem de immaculata Conceptione Beatæ Virginis, licèt Patribus incognitam. *Nunquid*, inquit Bernardus, *Patribus doctiores, aut devotiores sumus?* Periculosè præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia præterivit; *nec verò id tale est, quod, nisi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam præteriisse*. Hoc, inquam, objectum D. Bernardus fecerat Lugdunensibus, & visum fuerat argumentum efficax ad negandam immaculatam Conceptionem Beatæ Virginis à tempore ipsius Bernardi usque ad Doctorem Subtilem; sibi etiam fecerat, ùt dicebam, hanc objectionem ipse Scotus, sed illam adeo imbecillem existimavit, ut ejus responsionem neglexerit; unde solùm respondit cuidam alteri rationi ejusdem Doctoris Melliflui.

201. Verùm, si velimus concedere omnem veritatem moralem in Patrum Scriptis extantibus reperiri, fatebor, id esse verum *virtualiter*, & tanquam in principiis, non verò *formaliter sicut scientia*, sunt verba Angelici Doctoris in Summa par. 1. quæst. 1. art. 7. *virtute continetur in principiis*, & Scotus q. 2. prolog. fin. scribit: Origenes homil. de Arca Noe dicit, nulla Scientia omnia scienda explicavit, sed illa, ex quibus possunt alia sufficienter elici; *unde multæ veritates* necessariæ *non exprimuntur in Scriptura, etsi ibi continentur sicut conclusiones in*

prin-

principiis, circa quarum investigationem utilis fuit labor expositorum, & Doctorum.

202. Si ergo Patrum testimonia sunt principia Theologiæ, sequitur evidenter casus, & conclusiones Theologiæ esse cognitas Patribus tantùm *virtualiter*; hinc supra conati sumus ex Patribus, & aliis principiis Supernaturalibus nostram opinionem eruere: curavimus etiam ex principiis Medicis eandem stabilire, & hoc omnino necessarium judicavimus; & quia Antiqui Theologi, & plurimi Juniores eorum vestigia sequentes hæc principia meditati non sunt, ideo negaverunt in nostro casu haberi materiam proximam Sacramenti, ablutionem scilicet. Sicut ergo, si Ecclesia sola principia supernaturalia specularetur, unquam non mitteret operarios in Americam; ita si Theologus solùm principia supernaturalia meditabitur, nesciet infantes nostros posse ablui; & sic baptizari.

203. Dicebat Glossa in c. *ego solis* 9. dist. V. *quantalibet*, veritatem à quocunque dictam, præferendam esse: & Augustinus in d. c. & in c. *nec quorumlibet* non respiciebat ad personas dicentes, sed ad dictum, & in c. *quæritur*. 2. q. 7. præferebat quoad veritatem Filium Patri. Ergo in nostro casu non est pensandum, an mea probatio desumatur à Philosophia, & Medicina, sed ad dictum. Ratio Antiquorum Theologorum, ob quam nostris pueris Sacramentum denegabant, hæc erat, quia existimabant, *ipsos non posse ablui*; Si ergo ex Medicina oppositum evidenter ostendi, & ex jure Medici sunt testes idonei in re medica; Jam ampliùs negari non potest reperiri materiam proximam in nostro casu, licèt probatio desumpta sit à Medicina. Si autem conceditur materia proxima, aliàs forma, & intentio debita conceditur, negari nequibit Sacramentum, quia ex Tridentino sess. 7. de Sacram. in gen. can. 12. deciditur, malum ministrum, *si omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum pertinent, servaverit, conficere*.

204. Hìc placet expendere duo, quæ habent Gaspar Jueninus, & Franciscus Genettus, quorum primum spectat ad præsentem difficultatem, secundum verò ad aliam, connexam tamen cum præsenti. Jueninus nihili in materia Fidei, & Morum habendos esse scholasticos autumat par. 1. differ. 8. q. 8. qui nec Scriptura, nec Traditione, sed sola humana ratione, & authoritate Recentiorum sua Placita confirmant. Ita etiam loquitur Genettus supra allatus. Sed raro videbis hosce Doctores sequi legem illam rigidam, quàm adeo facilè præscribunt, probandi nempe casus conscientiæ vel *Scriptura*, vel *Traditione*. Sæpe equidem unum,

vel

vel alterum Patrem afferunt ad propositum; Hoc est probare per Traditionem difficultates Theologicas? Nunquid in uno, vel altero Patre conservatur Traditio? Tridentinum ad Traditionem requirit unanimem consensum Patrum *sess.* 4. Decret. de edit. Sacror. libr.

205. Idem Juveninus par. 8. dissert. 2. q. 6. c. 2. probat nostrum infantem non posse baptizari, & quia nequit ablui, & quia, cum non sit natus, nequit renasci ex D. August. epist. 57. ad Dardanum. Genettus tom. 3. tract. 2. c. 2. q. 11. negat pariter baptizari posita sola authoritate D. Isidori relati in c. *qui in maternis* de consecr. dist. 4. Hæc probatio fundatur in fundamento certissimo Traditionis? Authoritas Augustini solius, vel Isidori, vel utriusque certam Fidei regulam constituent? Ecce Adversarii, qui adeo Zelatores Animarum se prædicant, propter argumenta solubilia sinunt æternùm perire tot miserrimos omnium infantes.

206. Agitant pariter illam quæstionem; an, cum infans nequit nasci: unde vel puer, vel mater de vita periclitatur, liceat incidere ventrem matris, ut baptizetur infans. Hanc periculosissimam, & gravissimam quæstionem ita breviter resolvunt, primus q. 2. secundus q. 12. [*Respondetur negativè*, inquiunt, *ita Sanctus Thomas 3. p. q. 68. art. 11. ad 3. dicendum, quòd non sunt facienda mala, ut veniant bona; & ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum*. Hoc est totum argumentum Traditionis, quod habent hi Doctores, qui nos cogunt ad decisionem casuum conscientiæ, vel Scripturam, vel Traditionem afferre.

207. Authoritatem D. Thomæ esse certam in Philosophicis practicis nego; hinc nequeo ob authoritatem D. Thomæ credere incisionem ventris materni esse occisionem matris, Hæc est materia Philosophiæ experimentalis; Ergo Philosophos experimentales consulere debemus. In meo Opere d. c. 41. num. 77. attuli Scipionem Mercurium, & Franciscum Rousset Medicos, Georgium Gobat, & Theophilum Raynaudo Theologos sustinentes hanc incisionem ùt licitam. Hisce addo ex Medicis, & Chirurgis Andream Laurentii Anat. lib. 8. q. 32. Stephanum Blancardi tom. 2. instit. Chirurg. par. 1. c. 22. Gaspar. Bahun. in append. de partu Cæsar. Maurit. Cordæum com. c. ad lib. 1. Hippocr. de morb. mulier. tex. 12. Jacob. Duval. de Hermaphrod. & partub. c. 24. Veichar. lib. de morb. mulier. c. 50. Joan. Scherich. lib. 4. observat. medic. Roder. à Castro lib. 4. de morb. mulier. c. 3. Mizald. Centur. 1. memor. Aphor. 100. Francisc. Ranchin. lib. 7. qq. Chi-

rurg.

rurg. q. 14. Senerti lib. 4. Medic. pract. par. 2. sect. 6. c. 8. cas. 3. Hos citat, & sequitur Pasqualigus in Theor. & prax. morient. q. 36. qui multis probat hanc incisionem non esse matri mortiferam. Hinc patet authoritatem D. Thomæ non facere certam fidem pro contraria opinione; atque adeo nec cogere, ut hisce pueris baptisma negemus.

CAPUT XII.

Utrum Conducibilius sit Adversarios Benignâ nostra opinione uti in Praxi.

208. ANte quæstionis solutionem hic animadverto Doctorem posse in speculatione unam, in praxi alteram, etiam oppositam, sequi opinionem, quicquid Probabilioristæ in contrarium adducant. Hoc patet in Judice, qui licèt ex privata cognitione probè sciat Petrum esse innocentem, debet tamen ipsum condemnare juxta probabilissimam opinionem, si juxta allegata reus appareat. Hoc patet in Sacerdote audiente peccatorum Confessionem, qui juxta Antiquos à me relatos in Tract. de Probabilitate cap. 38. potest, & quandoque debet absolvere pœnitentem sequentem opinionem opinioni Confessarii contrariam. Patet etiam in subdito, qui secundùm Antiquos à me in eodem Tract. c. 37. allegatos tenetur contra propriam opinionem Superiori obedire, &, si nollet, à Superiore cogeretur. Quinimo à num. 69. demonstravi Doctissimum Cordubam, celeberrimum illum moralem Scotistam, licèt aliàs Probabilioristam, hoc idem docere. Num. 80. observavi inter alia ista notatu dignissima Cordubam scripsisse: *Posse aliquem tenere* opinionem aliquam, & oppositum in praxi sequi, nec hoc esse contra conscientiam, sed secundùm eam, ex quo facio secundùm judicium, quo practicè judico, *id mihi licitum esse etiam contra meam speculativam opinionem facere*. Quæ contra objici possunt, ibidem solvo, sed fusiùs idem Corduba in suo quæstionario lib. 3. q. 9. diluit.

209. Hoc posito dico conducibilius esse Adversarios in praxi sequi opinionem nostram, quàm suam; hinc, si ipsis occureret casus, ut mihi contigit ex num. 48. imperent Obstetrici, ut puerulum illum baptizent.

210. Pro-

210. Probatur. In materia Baptismi, quando dubium est, an validè conferri possit, si necessitas urgeat, conferendum est Sacramentum. Dubium est, an possit fieri abluendo pedem, manum, &c. & communis Antiquorum opinio negat ex D. Antonino 3. par. tit. 14. c. 13. §. 1. sicut & Communis Recentiorum apud Dianam Coord. tom. 1. tract. 1. resol. 76. adhuc tamen Ecclesia Romana in suo Rituali de baptis. necessitatis tempore in manu, in pede, &c. baptizat. Idem facit D. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. quæstiun. 1. ad 3. Alios casus dubios sive quoad materiam, sive quoad formam, sive quoad subjectum vide apud Dianam à resolut. 51. & seqq. Porro in omnibus his casibus DD. asserunt necessitate urgente ministrandum esse Sacramentum. Quinimo in c. *de quibus* de bapt. & ejus effect. statuitur, si sit ambiguum, aliquos baptisma recepisse, sub conditione Sacramento insigniendos penitus esse. Ergo etiam in nostro casu, cum dubium saltem sit, an pueri in utero sint Sacramenti capaces, & hoc inficiari adversarii non possint, debent etiam ipsi baptisma conferre; & hoc à fortiori, quia, cæteris puribus, infantes juxta D. Cyprianum num. 161. misericordia magis digni sunt, quàm adulti.

211. Probatur secundò. Ubi periculum majus intenditur, ibi proculdubio est pleniùs consulendum ex c. *ubi periculum* de elect. in 6. Quàm grave periculum immineat, si in praxi nostram opinionem non sequamur, luce meridiana est clarius, cum ita plures infantes certò damnentur, qui sequendo nostram opinionem, fortè salvarentur. Ergo pleniùs est consulendum, & conferendum baptisma. Præterea ex duobus malis minus est eligendum c. duo mala, c. nervi 13. dist. ergo multò magis ex duobus est eligendum, quod nullum malum est, & relinquendum quod malum gignere potest. Conferre in nostro casu Sacramentum sub conditione nullum malum est, ùt ex modò dictis constat. Non conferre certæ damnationi illos subjicit, qui fortè aliàs salvarentur. Ergo potiùs in nostro casu sub conditione ministrandum est Sacramentum, quàm non ministrandum.

212. Confirmatur. Sapientissimus Pater Dominicus Viva in Explanat. propos. Damnat. in illam de absol. per litteras §. 11. sub conditione moribundum absolvit dubia doloris signa promentem, & præter plures rationes affert D. Augustinum lib. 1. de adult. conjug. c. 26. c. 28. Doctissimus etiam Pater Andreas Zucherius in suis Decisionibus anni 1707. quas ex responsis frequentissimi Patavini Cleri egregiè selegit, & compilavit in casu prudentiali mensis Junii huic morti proximo, & dubia pœnitentiæ signa promenti peccatorum absolutionem impertit, & addit ferè

40. Do-

40. Doctores ita sentire. Ergo idem faciendum in nostro casu; quia, si valet argumentum à baptismo ad Pœnitentiam ex c. *alma mater* de senten. excomm. in 6. *ob summam necessitatem*, valere debet argumentum à Pœnitentia ad baptisma *ob ejus summam necessitatem*. Imo, loquendo in nostro casu, à fortiori valere debet, quia illi moribundi,& illi adulti fortè elicuerant,& elicere poterant contritionis actum; & propterea fortè sine Sacramento salvarentur; Contra in nostro casu certò pueri æternùm damnantur.

213. Dices D. Augustinus lib. allegato c. 26. scribit: *Non tamen damnare debemus eos, qui timidiùs agunt*, (idest non baptizant Cathecumenos improvisò voce destitutos,) *quàm nobis videtur agi oportere*. Ergo etiam nos damnare non debemus Adversarios, si nostros infantes non baptizant.

Respondeo ratione hujus authoritatis me solùm in conclusione asserere *conducibilius esse*, adversarios meam in praxi opinionem sequi. Cæterùm subdit cum Apostolo Sanctus Doctor, *unusquique nostrum pro se rationem reddet Deo*. Hoc sedulò ipsi cogitent, &, si possunt, eternùm certò perire sinant miserrimos illos homunciones. Legant etiam attentiùs illum. D. Augustini textum; forsan enim non suffragatur ipsis in casu nostro de pueris.

214. Nunc audio Jurisperitum hanc meam opinionem damnare, quia ab Innocentio Undec. à materia validitatis Sacramentorum excluditur Probabilitas. Me pudet talia audire. Hoc tamen ipsi condonandum est, quia hujusmodi materia ex D. Thom. quodl. 9. art. 13. captum superat Jurisprudentium. Hoc objectum solvi num. 177. & diffusiùs in meo Tractat. de Probabilitate c. 36. à num. 86. Interea ab ipso peto: si in c. *de quibus* baptizatur sub conditione adultus, de quo dubitatur, an sit baptizatus: si ex Rituali Romano, & D. Thoma relatis num. 210. Infans in utero baptizatur in pede V. G. quem extra uterum habet; & tamen certum est in his casibus, Sacramentum solùm probabiliter esse validum. Cur in nostro casu dubio Sacramentum sub conditione non conferemus? Nunquid isti misselli infantes misericordia indigni sunt? Vel ob illud Innocentii Decretum Rituale, & D. Thomas corrigi debebunt?

215. Hæc dicta sint in confirmationem meæ opinionis, quam spero omnibus placituram utpotè in majorem Christi gloriam, & miserrimorum infantium salutem redundantem; sicut pene omnibus placet opinio de Immaculata Conceptione, quia in ejusdem ampliorem honorem resultat.

216. Interea humillimè deprecarer, si fas esset, Illustrissimos Anti-

Antistites, ut, quemadmodum primis temporibus Aphricani Patres apud Cyprianum Epist. 59. à me allata num. 155. quia viderunt Deum esse omnibus æquè munificum, & benignum; ideo statuerunt infantes, etiam recenter natos, baptizari posse; ita ipsi postremis hisce sæculis perpendant, an ob illa eadem argumenta concedendum sit baptisma nostris puerulis, ut postea Sedes Apostolica irrefragabili suo judicio, quid nos sequi oporteat, constituat, cum ad ipsam 24. q. 1. c. *rogamus*. c. *majores* de baptis. majores Ecclesiæ Causæ meritò referantur.

217. Precarer etiam Doctores, ut sedulò hæc meditentur. Primum, nostros infantes instante partu certò ablui posse ex c. 4. & hinc corruere argumentum, cui Veterum maxima pars fidebat. Secundum, certò ad validitatem baptismi nativitatem non requiri, quæ sit *matre pariente* ex c. 6. Tertium, partum Cæsareum certò baptizandum esse ex num. 75. qui tamen *nativitatem ex utero* non habet, cum Ecclesia D. Raymundum *Nonnatum* vocet, qui per hujusmodi partum in lucem prodiit. Quartum, ex Tridentino allato num. 122. renativitatem baptismi referri ad nativitatem in utero. Ex his sequitur esse solutum illud aliud argumentum, cui solùm fidere poterant Adversarii, nimirum Renativitatem spiritualem talem dici per habitudinem ad nativitatem ex utero. Vide c. 7. His diligenter perpensis tunc judicent, an baptisma sit hisce pueris negandum, permittendumque eternùm perire.

Pater Martinus Orelli Opusculum anno 1710. vulgavit, & in eo opinionem nobis oppositam acriter, & eruditè tuetur. Sed Pater Antonius Bovarius in Libello suarum Thesium eodem anno inter generalia sua Religionis Comitia Januæ Celebrata meam sententiam contra d. Patrem Orelli egregiè defendit.

FINIS.

Loco eorum, quæ num. 181. sunt, hæc reponantur.

181. PRæterea si Adversarii per illud dictum vel credunt nostram opinionem non habere principia, quibus probetur; vel censent nobis fontem ita clarum aperire, ex quo semper vera argumenta hauriamus, ut nunquam errare possimus; non bene dicunt. Non primum, quia, cum apud Theologos in nostro casu principalis difficultas versaretur, an detur materia proxima Sacramenti, nimirum *Ablutio*: & an Ecclesia possit fœtum dignoscere; jam hæc duo principia uti certa stabiliuntur sine Patribus ex c. 4. hinc, si Ecclesia vellet illa determinare, Obstetrices, Chirurgos, & Medicos, non Theologos consuleret. Non secundum, licet enim Doctrina Patrum sit verissima, & clara, & longè aptior ad decidendas quæstiones, quàm principia naturalia; tamen Theologus ob sui intellectus imperfectionem etiam hæc principia quandoque malè applicabit. Hæc propositio cum præseferat quæstionem facti, testibus est probanda. Solùm quinque afferam, cum aliàs in ore duorum, vel trium stet omne verbum.




Restauro del Libro
Badia
di
Cava